Hoppe, Heinrich
De sermone Tertullianeo
quaestiones selectae

De sermone Tertullianeo quaestiones selectae.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab

amplissimo philosophorum ordine

in

Academia Philippina Marburgensi rite capessendos

scripsit

Henricus Hoppe

Herfordiensis.

Marburgi Chattorum.

MDCCCLXXXXVII

De sermone Tertullianeo quaestiones selectae.

Dissertatio inauguralis

quam
ad summos in philosophia honores
ab
amplissimo philosophorum ordine
in
Academia Philippina Marburgensi rite capessendos

scripsit

Henricus Hoppe
Herfordiensis.

Marburgi Chattorum.
MDCCCLXXXXVII

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine adprobata die XXIX mensis aprilis anni MDCCCLXXXXVII.

Ex typographia aulica Meyeri (Quentini)
Thietmalli.

Parentibus carissimis.

Q. Septimii Florentis Tertulliani opera quanti momenti sint non solum ad historiam ecclesiae Christianae primorum saeculorum cognoscendam, sed etiam ad sermonem scriptorum Afrorum penitus perspiciendum, a nemine harum rerum perito ignoratur. Eminet enim Tertullianus inter scriptores ecclesiasticos multiplici eruditione, egregia scientia rerum divinarum atque humanarum, mira facultate et sagaciter meditandi et subtiliter diserteque eloquendi, diligenti doctrina rhetorica et dialectica. Primus Tertullianus sermonem proprie christianum finxit; Minucii enim Felicis Octavius, qui fere solus antecedit, si revera ante Tertullianum conscriptus est, mirum est quam pauca contineat de Christianorum vel doctrina vel disciplina. Et in sermone ut Minucius Ciceronem imitatur, ita Tertullianus suum sibi ipse peperit. Perscrutanti autem unde sermonem christianum locupletaverit, sine magna opera tres fontes reperientur: lingua graeca, sermo forensis, sermo, qui Afris in usu erat. Atque ex lingua graeca nostrum multas notiones multaque vocabula repetivisse non est cur miremur. Illis enim temporibus Afrorum, qui bene eruditi erant, latine et graece non solum loquebantur sed etiam scribebant. Quis nescit Frontonis non paucas epistulas graece scriptas ad nos venisse et [1]) Apuleium saepius gloriari se utraque lingua uti? Tertullianum vero vix opus est commemorare complures libros ipso teste graece conscripsisse.

Sermo deinde forensis adeo Tertulliano in sucum et sanguinem, ut ita dicam, transiit, ut libri eius, qui scatent vocabulis

[1]) cf. flor. 18,86 vox mea utraque lingua vestris auribus probe cognita; apol. 36 cum ordinatius et cohibilius eadem graece et latine adnitas conscribere.

iuris consultorum propriis, ipsi testes sint illum primo causidicum fuisse, etiamsi certo probari non potest eum Tertullianum, qui in Digestis bis citetur, eundem esse ac nostrum.

Plurima autem Tertulliano sermonem christianum fingenti affluxit ex eo sermone, quo ipse utebatur, Africitate quae vocatur. Hoc enim nomen sermoni Afrorum proprio inditum est. At fuerunt viri docti, qui negarent proprium Afrorum sermonem exstitisse, velut Nibuhrius, qui contenderet praeter magnam priscarum vocum et elocutionum copiam illum nihil habuisse quod soli Africae provinciae peculiare esset et Kaulenus (Handbuch der Vulgata, 1870, p. 4), qui proprietates singulis scriptoribus potius adscribendas esse censeret. Sed postquam docte et accurate cum Sittelius (Die lokalen Verschiedenheiten der lateinischen Sprache, 1882, p. 77, sq), tum Woelfflinius et qui cum eo studia sua de ista re in promptuario, quod inscribitur: „Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik“ collocaverunt, hanc quaestionem pertractaverunt, id extra dubitationem positum videtur esse nonnulla, quae ad solos Afros referenda sint. Sittelius sane multa eorum, quae antea de Africitate statuerat, revocavit et fortasse, ni fallor, nimis multa. Contendit enim (Jahresbericht über Vulgär- und Spätlatein, 1891, p. 236): „Das sogenannte afrikanische Latein ist grösstenteils apuleianische Rhetorik. Tertullian und Cyprian allerdings haben sich selbst in ihren nach den Regeln der Rhetorik angelegten Schriften seinem Zauber nicht voll und ganz hingegeben.“

Equidem de ceteris scriptoribus iudicium nunc cohibeo; nam quantum Tertullianus cum popularibus suis Frontone, Apuleio, Minucio, Gellio, Cypriano, Arnobio in usu copiaque verborum atque in syntaxi et stilo concordet quantumque discrepet, perspici non poterit, priusquam sermo eius melius illustratus erit. Illud sane quicunque Tertulliani scripta obiter tantum cognoverit iam nunc mihi concedet genus scribendi eius, quamvis multa habeat cum ceteris Afris concordantia, tamen ab aequalium et popularium scriptorum proprietate in multis abalienatum esse. Sed hoc multo magis ingenio et personae scriptoris assignari debet quam sermoni quo utebatur. Nam si quisquam, Tertullianus generi dicendi suo

suum ingenium imposuit et ubique in libris eius persona scriptoris cernitur. [1])

Coniuncti autem in Tertulliano sunt cum philosophus, qui varias philosophiae provincias peragravit et perscrutatus est, tum theologus, qui doctrinam et disciplinam christianam funditus tractavit et vix unam graviorem religionis christianae quaestionem neglexit, atque etiam iuris consultus, qui Christianus factus, quamquam litteris saecularibus studiisque ethnicis renuntiaverat, nihilominus vestigia prioris vitae forensis retinuit, iam advocatus fidei christianae.

Et quod ad ingenium scriptoris et hominis attinet, ubique perspicimus acritatem mentis, qua perductus non veretur interdum in captiones se induere spinasque vellere, et facultatem imaginandi haud vulgarem, qua commovetur ut hic illic fidem augendo superiaciat ac nimius sit in describendis rebus foedioribus, denique animum fervidum atque violentum, qui non sinit eum quieto tractandi vel contemplandi genere rem agere sed fere semper ad impetum eum incitat, etiam ubi aequius fuit defensione uti.

Et cum non ignoret optima tela orationis esse sales et derisionem, omnem opportunitatem captat irridendi, ludendi, iocandi; sed licet plerumque legentem delectet, interdum sic abutitur ingenii acumine, ut parum graviter et sobrie agat vel amara urbanitate animum offendat.

Praeterea autem oratio ipsa vel stilus insignia animi fervidi et ad impetum propensi prae se fert. Fere semper enim brevibus enuntiatis utitur, saepe abruptis sententiis, partibus enuntiatorum magis iuxta positis quam inter se coniunctis. Et ut est in omnibus artis rhetoricae partibus bene eruditus, omnia, quae rhetores adhibere solebant ad orationem ornandam et illuminandam, ubi-

---

[1]) Hac in re consentio cum Hollio, qui de scriptore Tertulliano in annalibus Borussicis. 1897. p. 263 sic disserit: „Tertullians eigentümliche schriftstellerische Kunst ist nicht in der Schule gelernt; sie stammt aus dem eigenen Genius, einer seltenen Verbindung von Leidenschaft und Scharfsinn, von rasch aufflammender Erregbarkeit und heftigem Drang sich durchzusetzen, und sie beruht auf einer tiefgehenden Welt- und Menschenkenntnis.

cunque fieri potest, in suum usum convertit: interrogationem rhetoricam, exaggerationem, personificationem, anaphoram saepissime apud eum deprehendimus; imprimisque antithesibus libri referti sunt et eis aliqua ex parte effectum esse videtur, ut tanta multitudo vocabulorum novarentur multaeque voces a propria vi deflecterentur. Annominationibus vero dubito an nemo (fortasse Augustino excepto) tam frequenter et audacter usus sit quam noster.

Non tamen aequabiliter eiusmodi orationis ornatum in omnibus scriptis adhibuit.

Nam quandam stili diverstitatem praeter alias causas etiam ipsa res, quae agebatur, ferebat: alius profecto stilus adhibendus erat, ubi doctrina Christianorum adversus gentes defendebatur, alius, ubi quaestiones disciplinae ecclesiasticae pertractabantur, alius, ubi haeretici impugnabantur.

Quo fit, ut hodierni homines scriptis Tertulliani non aequo modo delectemur, utpote quorum nonnulla a gustatu nostro abhorreant, et ut de sermone Tertullianeo diversissimo modo iudicatum sit. Nam cum Ruhnkenius stilum barbarum nominaret, Cave in script. eccl. hist. litter. I 92 tale indicium tulit: „habet Tertulliani stilus maiestatem quandam sibi propriam et grandem eloquentiam sale et acumine plurimum conditam, quae simul legentis ingenium exercet et animum suaviter delectat,“ cum Tzschirnerus (nescio ubi) dixerit, quaecunque in scriptore posse laudari et vituperari, ea in Tertulliano iuncta reperiri, contra Teuffelius (Gesch. d. röm. Litt. [5] p. 940), stilum rudem vocavit.

Sed certe omnes, qui Tertullianum accuratius perlegerunt, consentiunt nimis saepe eum obscurum et difficilem ad intellegendum esse, nec solum nostri homines hac in re consentiunt, verum etiam veteres. Jam enim Lactantius (inst. 5, 1, 23), obscuritatem eius questus est et Hieronymus dixit illum crebrum quidem in sententiis sed difficilem in eloquendo esse. Atque obscuritate, quae difficiliore struendi ratione et rariore vocabulorum vel obsoletorum vel nove positorum usu plerumque oriri videtur, factum est, ut temporibus medii aevi Tertullianus non multum legeretur scriptaque eius parum describerentur, et ut nostris temporibus

perpauci viri docti susceperint sermonem Tertullianeum accuratius describere. Nec iniuria mihi van der Vliet [1]) contendisse videtur Tertullianum minus notum esse quam celebratum.

De nonnullis sane partibus grammaticae exstiterunt viri docti qui inquirerent, velut Langenus, qui de usu praepositionum scripsit (Monast. 1868—70) et J. Schmidtius, qui duos libellos de copia et usu verborum conscriptos edidit (de latinitate Tertulliani Erlangen 1870—72; de nominum verbalium in -tor et -trix desinentium apud Tertullianum copia et vi ib. 1878.) et Hauschildus, qui de verborum formatione egit (Die Grundsätze und Mittel der Sprachbildung bei T. Leipz. 1876, 1881). [2]) Primus autem syntacticas nonnullas quaestiones tractavit Kellnerus (Tüb. theol. Quartalschrift 58, p. 228 sq), qui vir doctus tamen sermonem Tertulliani magis defendere voluit quam describere. Et multo melius quam illa dissertatione Kellnerus de Tertulliano meritus est translatione sua (Colon. Agr. 1882), quae meo quidem iudicio egregia est et eo laudabilior quo difficilior erat. Commemorandus deinde est Blokhuis, qui librum conscripsit: de latinitate, qua usus est T. in apologetico, Utraiect. dissert. 1892, non sine industria, sed nimis scholastico more progressus. Longe gravissima, quae de aliquot quaestionibus grammaticis ad aetatem Tertulliani et ipsum pertinentibus conscripta sunt, inveniuntur dispersa in Woelfflinii promptuario.

Stilum Tertulliani optime descripsit van der Vliet in libro supra citato et in studiis ecclesiasticis I Lugd. Bat. 1891, p. 1—17.

Idem vir doctus pollicitus est se de sermone Tertullianeo postmodum librum editurum esse. Interim haec de ista re studia, quamvis sint imperfecta et pro materiae difficultate manca, a peritis cum benevolentia, precor, excipiantur.

---

[1]) sectie voor letterkunde, wijsbegeerte en geschiedenis van het provinciaal Utrechtsch genotschap voor kunsten en wetenschappen 1889. p. 2.

[2]) Condamini librum: de Tertulliano christianae linguae artifice Lugd. Bat. 1877 inspicere non potui.

Caput I.

De graecismis Tertulliani.

Vocabula, quae T. ex Graeca lingua aut vertit aut recepit, hic enumerare supersedeo, quia de hac re iam Hauschildus l. c. fusius egit,[1]) et nunc eas praecipue constructiones afferam, quae originem ex Graeco sermone trahunt. Permultas enim T. mutuatus est vel ex scriptoribus graecis, quibus assidue studuit, vel ex librorum sacrorum translatione latina graecismis abundante, qua utebatur.[2])

Nonnulla, etsi iam apud alios scriptores inveniuntur, qui Graecorum imitatores minime putandi sunt, opus erit hic repetere, cum apparebit Tertullianum Graecos imitari.

In libris Tertullianeis graecismi ita non aequabiliter distributi sunt, ut nonnulli perpaucos praebeant, velut liber de fuga in persecutione, alii referti sint structuris graecis, ut liber de pallio qui adeo eis scatet, ut ex Graeco paene translatus videatur esse.

Ac primum quidem enumerabo graecismos ad doctrinam casuum pertinentes.

1) **accusativus graecus** a Tertulliano frequentissime et audacissime usurpatur.

Primum affero verba induendi et exuendi, quae in genere passivo cum accusativo iam a Sallustio, Livio, Tacito, Apuleio aliisque structa sunt:

Christum indutus es fug. 10;

in omnibus Christum indutis res. car. 26.

indutus poderem sacerdos Iud. 14;

(domicilium) quod superindui desideramus . . . qui simus in tabernaculo, quod nolimus exui, sed potius superindui res. car. 42;

---

[1]) nonnulla praebet etiam Koffmane: Geschichte des Kirchenlateins (Vratisl. 1879. 1881), p. 116 sq.

[2]) quam multa vocabula graeca in Tertullianeum sermonem ex Itala quae vocatur translatione redundaverint, discas ex Roenschii libro cum impigritate conscripto, qui inscribitur Itala und Vulgata [2] p. 238 sq.

redinduti carnem — superinduti immortalitatem res. car. 42 ex;

Adam et Eva paradisum exuti res. car. 7 in;

vitiosam disciplinam, non corpulentiam exutum res. car. 45 ex.

Analogia autem formata esse videntur haec: humerum exsertus pall. 3 ex; (hoc iam apud Vergilium).

Evam facilius pudenda foliis, quam tempora floribus incinctam describit cor. m. 7;

depictae (pl.) oculos verecundia et os taciturnitate cult. fem. II 13 ex;

figuratus Christum Marc. III 18;

(vobis) ut senium, non fastigium exemptis pall. 1;

albam (sc. vestem) vestiri scorp. 12;

qui coronabatur gloriam et honorem (cod.) Prax. 16;

Audacius vero huiusmodi structuras T. formavit:

probatus divinitatem operis an. 28 in; trucidatus oculos nat. I 16 (p. 68 R.);

Tuscia Vulsinios pristinos deusta pall. 2;

Campania erepta Pompeios pall. 2;

(Jonas) incorruptus utramque substantiam, carnem atque animam res. car. 32;

praecordia insculpta scenam apol. 35;

(Achilles) aurem quoque foratu effeminatus pall. 4;

nupta animam virg. vel. 11;

nationes colorem quoque excoctae an. 25;

nemo convulsus animum in fratrem suum pat. 12;

crepidam aeratus incessit („mit erzbeschlagenem Schuh") pall. 4.

pueri . . . calceati vanam gloriam vapulant Marc. I 8;

ad quem locum van der Vliet in stud. eccl. I p. 50 haec scribit: „melius accusativum vanam gloriam ad verbum referemus explicantes „vanam gloriam vapulando luent". Quae explicatio mihi violenta et coacta videtur.

calceatus galeam test. an. 2;

ut etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus („selbst mit Daransetzung unseres Lebens" K.) Scap, 1 in., nisi forte auctorati hic deponens est (ut Apul. met. 9,19), quod sane Oehlerus negat.

Verba, quae in genere activo duplicem accusativum asciscunt, in passivo apud poetas potissimum et posteriores scriptores cum accusativo obiecti subnectuntur, affero haec:

impudentiam docta (virgo) virg. vel. 2;

caro docetur sanctitatem monog. 3;

(Cato) litteras eorum (sc. Graecorum) vocemque senex iam eruditus pall. 3 ex;

absolutam veniam offensae patientiae eruditus pat. 3;

deum nos a prophetis erudimur Marc. II 16;

ordinem et significationem somnii per omnia instruitur ieiun. 7;

causas expostulatus . . . respondit cor. m. 1 in.

2) **genetivi exclamationis**[1]) unum exstat exemplum: pro malae tractationis paen. 12.

3) **genetivus comparationis,**[2]) cum etiam apud Vitruvium inveniatur, etsi graecismus non putandus sit, tamen a Tertulliano imitatione linguae graecae formatus esse videtur mihi (cf. Sittelium l. c. p. 114, Roenschium l. c. p. 435):

maiorem Asiae et Africae terram apol. 40;

quod angelis inferioribus dei licuit car. Chr. 3;

praevalens eius (sc. materiae) [mächtiger als sie] Hermog. 9;

casus sui potiorum desiderio (von Sehnsucht nach dem, was besser als ihre Lage) Valent. 14;

4) **dativus auctoris sive graecus** rarus est apud Apuleium, crebrior apud ceteros scriptores Afros, velut Tertullianum. Contra

---

[1]) Arist. plut. 389 *οἴμοι τῶν κακῶν.*
id. Ach. 87 *τῶν ἀλαζονευμάτων.*

[2]) cf. Woelfflinium Archiv VII 118.

apud meliores scriptores haec structura admodum paucis exemplis exceptis ad participium tantum perf. pass. et ad tempora ab illo derivata pertinet.

a) perf. pass.

exempla, quae saepe nobis etiam in testimonio posita sunt exh. cast. 13 in;

arietem . . . nemini unquam adhuc libratum pall. 1;

ideo et sibi (= a se) damnatum dixit haereticum praescr. 6;

si quid retro gestum est nobis Marc. I 1 in;

solis haereticis cognitus non est Marc. II 2;

de isto plenius iam nobis in Graeco digestum est bapt. 15;

disputatio habita est Christiano et proselyto Judaeo Jud. 1 in;

b) aliae verbi formae:

populus allegi deo coepit ieiun. 5 in;

sed et quidam vestrum, quibus favor vulgi de iniquitate captatur, gloriantur apol. 49;

mimographo Lentulo in Catinensibus commemoratur pall. 4;

quae nec inveniri nec investigari nisi soli deo possent Hermog. 45;

non esse aliquid, cui deus cognosceretur Marc. II 3;

quominus illi Adam viseretur Marc. II 25;

nobis . . . Saturnalia . . . frequentantur idol. 14;

apostolis non damnatur (nostra res) praescr. 35; (sic recte legit Oehlerus, codicem Agobardinum secutus, cum ceteri libri praebeant „ab apostolis").

5) **locativus finalis,** [1]) qui cum dativo concidit, poetis maxime perculiaris est, quibus hanc structuram graecorum imprimis poe-

---

[1]) cf. Verg. Aen. II 398 demittere Orco: Hom. ; 363 μυχῷ, Draeger I 426 sq.

tarum imitatione commendatam esse cum Schmalzio consentio (Handbuch II § 89.)

qui-se rogo immisit mart. 4;

non imaginibus incurris mart. 2;

idem, qui nos mundo infert. ad ux I 7;

clavus intimat tabulis cult. f. I 5;

ne delictis incidamus cor. m. 11;

(serpentes) quas Cleopatra immisit sibi mart. 4;

nemo Christianus ante Christum caelo resumptum pud. 11 ex.

6) **verba, quae insolentius cum accusativo structa sunt:**

latere aliquem (= *λανθάνειν τινά*). dixerunt Varro, poetae aureae aetatis, scriptores posteriores; T. et accusativum et dativum[1]) admisit:

si quos latet idol. 15;

nec te latet test. an. 2;

latuid aliquid Petrum — latuit et Johannem aliquid praescr. 22;

adiurare T. primus transitive usurpavisse videtur ex analogia verbi *ἐξορκίζειν*.

daemonas adiurare apol. 32;

ab alio adiuratus idol. 21;

benedicere[2]) et **maledicere aliquem** haud dubie verba graeca *εὖ* et *κακῶς λέγειν* secuta sunt:

baptismum videmus benedici bapt. 9;

dicentes Christum crucifixum non maledicimus illum (saepius hoc sensu blasphemare ponitur!) Prax. 29;

nec maledixit ipsum Adam et Evam (deus) Marc. II 25;

(genus mortis) quod ipse maledixerat (deus) Marc. III 18;

---

[1]) dativum legimus: ne cui lateat Marc. I 1; prophetis et apostolis usque adhuc latuit, puto et Christo Hermog. 8 ex; cui latebat car. Chr. 11.

[2]) cf. Apul. Asclep. 40 benedicentes deum; Lact. inst. 7, 14, 41 eum benedixit. cf. Koffmane l. c. p. 117.

gladii opera maledixit pat. 3;

benedictus deus, qui et universa benedixit et ab universis benedicitur Marc. V 11.

suadere aliquem[1]) soli Afri admisisse videntur, perducti analogia graeci verbi *πείθειν τινά*.

sermone me suasisti (*λόγῳ μ' ἔπεισας*) pall. 6 in;

tu es, quae eum suasisti cult. f. I 1;

duritia vincenda est, non suadenda scorp. 2;

Pariter compositum **persuadere**[2]) cum accusativo personae iungitur:

spes resurrectionis — neminem ad religionem persuaderet res. car. 21.

nocere aliquem sequioris aetatis scriptorum est, quibus graecum *βλάπτειν τινά* obversabatur (cf. Kühner II 70).

puto nobis non magis licere nascentem nocere quam et natum exh. cast. 12, ubi haec codicis Agobardini lectio contra reliquos codices „necare" praebentes servanda est.

confundi c. accusativo[3]) = *ἐπαισχύνεσθαί τι* confundor confessionem fuga 7.

iurare et deierare aliquem verbum *ὀμνύναι τινά* sequuntur:

signa iurat apol. 16;

qui — quercum et hircum et canem deierabat apol. 14;

communicare aliquem, quod idem est ac graecum *κοινοῦν τινά* T. ex „Itala" videtur mutuatus esse:

quae ore prolata communicant hominem spect. 17;

---

[1]) cf. Apul. met. 9,25 uxorem eius tacite suasi ac denique persuasi.

[2]) hoc iam scripsit Ennius ap. Serv. ad Verg. Aen. 10,10 quis te persuasit? (Bährens fr. poet. p. 132.)
Constructio personalis passiva a pluribus admissa est: cf. non exigetis persuaderi Marc. II 27.
Sophia tarde persuasa Val. 9 ex.; persuaderer divinitus factum (esse) an fi. illa a quibus etiam sine divinis vocibus persuadetur res. car. 18.

[3]) genetivum habes car. Chr. 5, scorp. 9.

traditum est non vasculorum inquinamentis, sed eorum, quae ex ore promuntur, hominem communicari pat. 8. Utrobique e memoria citat Marc. 7,15 et haud dubie „Italae" verbis utitur.

7) **verba insolenter more graeco genetivo iuncta:**

dominari[1]) c. gen. est *ἄρχειν τινός:*

numquam dominaturi eius apol. 26;

ille dominabitur tui cult. f. I 1 (Itala);

commemorari[2]) c. gen. pro mentionem facere simile est graeco verbo *ἀναμιμνήσκειν τινά τινος.*

ut et illius commemoremur fuga 9;

et si commemoraremur promissionis Moysi Marc. IV 22;

gaudere[3]) c. g. respondet graeco *ἥδεσθαί τινος.*

quid hoc malum est, cuius reus gaudet? apol. 1 ex.

8) **verba graeco more dativo apta:**

conluctari[4]) **alicui** = *μάχεσθαί τινι.*

conluctatus homini angelus car. Chr. 3;

congredi alicui = *συνίστασθαί τινι.*

congressus Hermogeni an. 1 in;

conregnare alicui = *συνάρχειν τινί.*

Cleopatra conregnavit Augusto Jud. 8.

9) Addam aliquot **verba, quae in significatione graecis verbis insolentius respondent:**

pati,[5]) quod idem est atque *πάσχειν,* ubi significat nancisci vel experiri.

nemo aut fratrem aut patrem passus est traditorem scorp. 9;

---

[1]) cf. Apul. Ascl. 39 catholicorum dominantur; Min. Fel. 12,5 Romani vestri dominantur.

[2]) commemorari utitur T. pro commemorare, ut multis verbis.

[3]) Apul. met. 1, 24 voti gaudeo.

[4]) Draegerus I 406 affert certare, luctari, pugnare c. dat. ex poetis.

[5]) cf. Plaut. asin. 2, 2, 58, fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum.

(Marcion) fraudem patitur Marc. I 15 ex;

negotium patitur deus Marc. II 2 in;

deum patrem — passus est (i. e. sortitus est) apol. 21;

mulier — quae virum passa sit virg. vel. 5;

post definitionem census quaestionem status patitur an. 4;

proprium iam negotium passus meae opinionis (*ἴδιον ἤδη πρᾶγμα πεπονθὼς τῆς ἐμῆς γνώμης*) virg. vel. 1.

disponere T. interdum eodem sensu usurpat quo Graeci *διατίθεσθαι*.

cum igitur in omnibus nos aliter disponitis quam ceteros nocentes apol. 2.

(haeretici) et Christum aliter disponere coacti, ne creatoris habeatur, in ipsa prius carne eius erraverunt res. car. 2.

10. Nunc venio ad ea verba, quibus ratione insolita Graeco more [1]) **participium** subiunctum est.

Primum hic afferre opus est:

fallere c. part. = *λανθάνειν* c. part., etsi iam Livio et Horatio, ipsis quoque Graecorum imitatoribus, usitatum erat.

passivitas fallit obumbrans corruptelam conditionis cor. 8.

obducere „proprie est adducere in contrariam partem, et hinc Tertulliano fere pro convincere, evincere“ Oehl. ad apol. 46;

cum participio T. hoc verbum struit ut Graeci *ἐλέγχειν* et *ἐξελέγχειν*.

obduceris corpore eam (sc. materiam) infinitam faciens Hermog. 38

---

[1]) nonnulla collegit Kellnerus: Sprachl. Eigentümlichkeiten. p. 230 sq. Ex Livio exempla eiusmodi graecismi praebet Kuehnastius livian Syntax p. 268.

sustinere c. part. assumpsit structuram graeci verbi *ἀνέχεσθαι*, ubi accusativum cum infinitivo exspectaremus.

qui ne muros quidem in cubiculum inrepentes . . , sustinebat nat. I 4;

nemo te sustinebit improvidentiam adscribentem deo Marc. II 24;

ne illum quidem tam diu saevientem sustinuisse (sc. debuerat) Marc. III 4;

quale est ut illos tam diu errantes sustineret Marc. IV 18;

praevenire c. part usurpatur ut *φθάνω*;

interim ex fiducia probationis praevenio admonens quosdam praescr. 9 ex;

ubi haec codicis Agob. lectio sine dubio servanda est.

(Varro) ultro praevenit dicens nat II 3 (p. 99).

Sed ut apud posteriores Graecorum scriptores pro participio infinitivus quoque in usu erat,[1]) ita etiam apud Tertullianum infinitivum aliquoties invenimus:

detinebatur qui praevenerat nasci a praevento necdum plenius edito an. 26 (= qui ante natus erat);

si quis praevenerat descendere illuc, queri post lavacrum desinebat bapt. 5 (p. 206 R.)

non possunt duos deos facere quae, etsi diversa, apud unum recenseri praevenerunt (= antea recensita sunt) Marc. V 11 (p. 307 O.)

Secundum graecum *φανερός εἰμι* c. part. Tertullianus sibi formavit **manifestus sum** c. part.

(deus) manifestus est — labefactans fiduciam res. car. 31.

---

[1]) *φθάνω* c. inf.: Plut. Apophth. p. 178 E. *ἔφθη γὰρ τελευτῆσαι πρὶν ἢ παρ' ἐμοῦ χάριν ἀξίαν τῆς φιλίας ἀπολαβεῖν.*
Dionys. A. R. 4. 61 *τελειῶσαι οὐκ ἔφθασαν ἅπαν τὸ ἔργον.*

Atque eodem modo Tertullianus verbum graecum *φαίνεσθαι* c. part. reddit verbo **ostendi** c. part.:

(Christus) defensus ostenditur a creatore Marc. III 23;

nihil denique tam gemmatum habent, quam quod gemmatum esse non debet, si non comparet, aut ideo comparet, ut neglectum quoque ostendatur cult. f. I 7 ex.

Ambigi sane his locis potest, utrum participium habeamus, an ellipsis verbi esse, Tertulliano usitatissima, statuenda sit; et eadem res est de hoc loco:

videretur deus — consolatus res. car. 31,

ubi ellipsis mihi verisimilior est, sicut etiam in huiusmodi loco:

si populus allogorice mussitaret ossa sua arefacta et spem suam perditam res. car. 31 in.,

ubi de analogia verbi *ἀγανακτεῖν* c. part. cogitari potest.

gaudere c. part, = *χαίρειν* c. part.

magis damnati quam absoluti gaudemus Scap. 1.

gaudebit sibi soli et deo nota (sc. *οὖσα*) virg. vel. 15.

erubescere c. part. idem est atque *αἰσχύνεσθαι* c. part.:

quoniam homo non erubuerat lapidem et lignum adorans Marc. IV 21;

erubesce non coniungens, quos tuus quoque Christus coniunxit — erubesce etiam disiungens Marc. IV 34.

Ut Graeci verbis desinendi et perseverandi (*λήγειν, παύεσθαι, ἀνέχεσθαι, καρτερεῖν*) participium subiungunt, ita T. verbum **perseverare** cum participio pro infinitivo iunxit: si perseveret nomen obtinens exh. cast. 3.

Quoniam vero temporibus Tertulliani saepissime ablativus gerundii vice participii fungitur, hunc quoque admisit:

cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverabat apol. 9.

11. Proximum locum teneant ea, quae ad **infinitivum** graeca consuetudine adhibitum pertineant.

capit c. inf. vel acc. c. inf. est graecum ἐνδέχεται et hoc sensu admodum familiare nostro.

sed haec aestimare non capit cult. f. I 2;

nec capit numerari quod non habetur bapt. 15;

capit itaque et facturam provenisse ('inesse' editio Gangnei) poni an. 4;

hoc quod est deum aestimari facit, dum aestimari non capit apol. 17;

non capit animale corpus dici aut inanimale quod est anima an. 6;

non capit utique videri deus ad nat. II 3;

capit etiam imaginem spiritus dicere flatum Marc. II 9;

an capiat paracletum aliquid tale docuisse monog. 2;

illam magis excusari capit monog. 15;

et agonem intellegi capit persecutionem fuga 1;

talia capit opinari eos qui . . . praescr. 44 ex;

multo magis non capit sine initio quicquam fuisse Hermog. 18;

non capit diversas fuisse (species) Hermog. 32;

(terram sanctam, quam et patrum dici capiat res. car. 26 ex;

ut — ita capiat secundus a deo constitutus duos efficere Prax. 7;

anima nascendo et per animam vivendo animale dici capiat Marc. V 10 (p. 304 O.)

capit et indulgeri quasi modica pud 1;

(sermo) quem si non capit configurari Prax. 27;

id enim intellegi vel non intellegi capit Marc. III 6.

subiacet[1]) c. inf. reddit graecum ὑπόκειται:

---

[1]) enuntiatum interrogativum sequitur:
palam subiacet quanta a maioribus mutaveritis nat. I 10.

intellegi subiacet apol. 15;

Pendentis ab adiectivo infinitivi graecismum merum in libro de pallio deprehendi notabile est:

Ninus regnare primus (*βασιλεύειν πρῶτος*) pall. 2.

Pro accusativo cum infinitivo apud Tertullianum ut apud plerosque sequiores scriptores innumeris fere locis coniunctiones 'quod, quia, quoniam' inveniri vix operae pretium est commemorare. Quae constructio, etiamsi graecismum eam habere non licet, quod iam in sermone vulgari auctoris belli Hisp. deprehenditur, tamen, quod invaluit et pullulavit non ante Apuleium et latinitatem ecclesiasticam, a vero non aberrabimus credentes illis temporibus eiusmodi structuras imitatione Graecorum auctas et provulgatas esse. Exempla coniunctionis quod cumulare supersedeo, quoniam una quaque fere pagina praebet; monendum vero mihi videtur, primos ecclesiasticos scriptores pro 'quod' scripsisse 'quia' et 'quoniam', perductos fortasse graeca lingua, in qua *οὕνεκα* idem est atque *ὅτι*. Nonnullis hic locus detur exemplis:

a) quia:

α) cum coniunctivo iunctum:

ex neccessitate qua diximus quia melius sit nubere quam uri monog. 3;

non animadvertentes quia scriptura praemittat Iud. 9;

superest ut ex homine sit matre; si ex homine, iam apparet quia ex virgine (sit) Marc. IV 10.

dispecto (abl. abs.) quia ita debuerit instituere (deus) Marc. II 6;

β) cum indicativo iunctum:

apparet quia non ego illos deos dico idol. 20;

Personaliter subiacet adhibitum est:
exhortatio subiacet pat. 7 in. materia deo subiacebat Hermog. 28; nec in communicationem alii deo subiacet (nomen) Marc. III 15.

credo quia mendacio possunt an. 57;

sciant quia totum caput muliere st virg. vel. 17.[1])

b) quoniam:

α) cum indicativo iunctum:

si deus videt quoniam propter ipsum feci, pariter videt quoniam — nolui idol. 22;

unde igitur ostendimus quoniam venit Christus? Jud. 8;

videmus autem quoniam quadragesimo et primo anno imperii Augusti — nascitur Christus ib.;

providens autem deus, quid esset futurum, quoniam non tantum non recipient eum, verum et insequentur et tradent eum morti ib.

(vitat igitur coniunctivum futuri!)

β) cum coniunctivo iunctum:

in Actis Apostolorum invenimus quoniam, qui Johannis baptismum habeant, non accepissent spiritum sanctum bapt. 10 (p. 209, 22 R.);

sic igitur de eo Daniel praedicavit, ut et quando et quo in tempore gentes esset liberaturus ostenderet, et quoniam post passionem Christi ista civitas exterminari haberet Jud. 8.

Liceat deinde obiter attingere **infinitivum vice substantivi usurpatum**[2]) Minime equidem hunc infinitivi usum graecismum esse censeo, praesertim cum infinitivus ipse proprie fuerit substantivum, nihilominus, cum T. in hac re audacior fuerit prioribus omnibus, licet suspicari hoc quoque imitatione graeci usus effectum esse. Pauca exempla nunc rem adumbratura spero:

accipiet esse (τὸ εἶναι) an. 4;

---

[1]) Saepissime in Itala quia c. Ind. adhibetur; e. gr. affero: cognoscitis nempe quia ex fide isti sunt filii Abrahae monog. 6; vidit deus quia bonum est fuga 4; scimus quia . . . similes eius erimus res. car. 23.

[2]) optime egit de hoc infinitivi usu Woelfflinius (Archiv III 70 sq.)

(carnem) non velle, non nolle habentem res. car. 16;

natura — sanctificare concepit bapt. 4;

totum vivere animae carnis est res. car. 7;

primo esse ei contulit, dehinc non in vacuum esse Hermog. 29.

tota molitio operire est solutim pall. 5;

illic libertas, hic contumacia delinquere videatur ad ux II 1 ex;

sapere nostrum an. 45;

ipsum mori carnis est, cuius et vivere res. car. 7;

qer quem datur portare posse monog. 14;

propter istos enim conventus et multum videre ac videri cult. f. II 11.

Nostrum primum etiam infinitivum praes. pass. admisisse Woelfflinius l. c. demonstravit: maledici eam sequebatur pud. 14;

unde illi (infanti) et offendi et demulceri (sc. est), si non intellegit? an. 19.

Infinitivus, qui subiecti vice fungitur, inest in structura Tertulliano usitatissima: est c. inf., quae iam in prisca latinitate occurrit (etsi tantummodo 'est videre') et apud poetas imprimisque apud Plin. mai. et Gellium reperitur (cf. Draegerum II 302). Credibile mihi est graecum ἔξεστι vel ἔστι c. inf. imitationi fuisse.

Ex Tertulliano haec exempla selecta praebeo:

de antecedentibus discere est res. car. 49 in;

repercutere est apol. 41;

est quidem et de communibus sensibus sapere res. car. 3 in;

de multis multa succedere est Val. 1;

erit — retractare pud. 7;

evenire est pud. 8 in;

perspicere est (= licet p.) an. 46 in;

per haec floribus frui est cor. m. 10;

est ergo et in vascula — sententiam figere res. car. 10

pudet, sed aliter exprimere non est Val. 17;

quod capere eum non sit neque comprehendere Val. 11;

quae . nec apud saeculum . . . nec in conversationibus Christi recognosci est cor. m. 8 ex;

et hic iam vacare est et officia et emolumenta res. car. 61 ex;

in te est aestimare test. an. 5.

12. **Adverbium pro attributo.** Jam apud Livium adverbium persaepe graeca ratione pro attributo positum deprehenditur, quam structuram grammatici veteres miro modo ὑφ᾽ ἕν appellant. Cum vetustiores scriptores pauca tantum exempla praebeant, post Livium hic usus magis magisque propagatus est. Et Tertulliani quidem audacia tanta est, ut sola Graecorum imitatione satis excusari possit. Sufficiant hic quoque, ubi sescenta afferre possum, pauca exempla:

tanta solacia extrinsecus[1]) oculorum (solche äusserliche Ergötzlichkeiten) spect. 1;

ignis intrinsecus fetu paen. 12;

tantorum retro criminum spect. 29 in;

subtilissimam e contrario argumentationem (Gegenbeweis) monog. 12;

fraude tunc fratris, dehinc apostatae (*τοῦ τότε μὲν ὄντος ἀδελφοῦ, ἔπειτα δὲ ἀποστάτου*) Marc. I 1 in;

omnem Judaicae ignorantiae de pristino reputationem (= pristinam) Marc. III 6;

apparere subitum ex inopinato sapit conspectum (= inopinatum) Marc. IV 7.

illa tunc caecitas (*ἡ τότε τυφλότης*) ux. I 5;

carnis usquequaque imbecillitatem monog. 17;

malam illam aliquando libertatem virg. vel. 7;

---

[1]) cf. Apul. met. 11, 778 miris extrinsecus simulacris; cf. Cic. in Pis. § 21 discessus tum meus; Plaut. Pers. III in: mores tunc hominum; Ter. Andr. 176 eri semper lenitas (= sempiterna); Verg. Aen. 1, 198 ignari ante malorum.

singularum ex diverso opinionum car. Chr. 25;

in nostris hodie usibus[1] (ἐν ταῖς νῦν χρείαις) cor. m. 8.

13. Claudat agmen pronomen **ipse pro idem** usurpatum[2]. Quas voculas ab Afris potissimum permutatas esse inde explicari potest, quod graeca lingua in Africa omnes eruditi erant. Facile autem apud Graecos αὐτός et ὁ αὐτός confundebantur. Qua in confusione iam Min. Fel. 11, 7 praeiverat: vellem tamen sciscitari, utrumne cum corporibus, an sine corporibus, et corporibus quibus, ipsisne an innovatis resurgatur?

Etiam Tertullianus praebet nonnulla exempla indubitata:

(pluma) nunquam ipsa (= eadem), semper alia, etsi semper ipsa (= eadem), quando alia pall. 3;

dum ipsius est spirare, cuius et vivere an 10;

ipsum, quod ait, A facie domini et a gloria valentiae eius, verbis usus Esaiae, ex ipsa (= eadem) causa eundem sapit dominum consurgentem, ut comminuat terram Marc. V 16.

Minus certus mihi est locus, quem Oehlerus citat: At ego magis videbo vulgus, tunc quoque, cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit res. car. 1.

Caput II.

De archaismis Tertulliani.

Frontonem, Apuleium, Gellium archaistas vel antiquarios solemus vocare, quod antiquorum vel priscorum scriptorum sermonem anteferebant sermoni recentiorum illumque ultro imita-

---

1) Ex exemplis, quae attuli, apparet adverbium, ubi fieri potest, a Tert. inter substantivum et attributum solere poni, id quod Livius quoque et alii soliti erant; tamen inveniuntur etiam loci qui deficiente attributo duriores nobis sunt e. g. rursus et rursus resurrectio apol. 48 (p. 294 O.), habitum intus cruci ingerit (= dem Kreuze, das inwendig ist) nat. I 12 (p. 82, 19 R.)

2) cf. Kalbii Roms Juristen p. 140. Sittl p. 115. Woelfflini Archiv VII 475 sq.

bantur[1]) Sed Minucium Felicem[2]) et Tertullianum, quorum libri ipsi quoque multa contineant priscam latinitatem redolentia, num putabimus consulto scriptores primae aetatis linguae imitatos et ab eis vocabula mutuatos esse? Nonne alter Ciceronis potissimum imitator est, alter contemptor omnium litterarum ethnicarum? Priusquam igitur ad rem ipsam accedamus, inquirendum est, unde quae priscae linguae propria insint in sermone Tertullianeo originem ducant.

Fortasse in schola saltem Terentium cognoverat, certe, dum ethnicus erat, legerat Plautum. Nec aliorum scriptorum plane ignarus est, id quod infra probabimus.

Difficile autem mihi videtur diiudicare, quae T. ipse ut fructum lectionis vel auditionis priscorum poetarum in suum usum converterit, et quae elocutiones, quae primo obtutu vetustatis habitum prae se ferre nobis videntur, ad sermonem plebeium pertineant. Id enim pro certo habendum est in sermone Afrorum, quibus lingua latina temporibus bellorum punicorum allata erat a militibus romanis, non pauca resedisse, quae sive priscae sive vulgari sermoni debeamus attribuere. Quo fit, ut tot vocabula prisca apud omnes fere Afros redeant.

In Tertulliani libris multae occurrunt voces, quae a solis priscis poetis imprimisque a Plauto usurpatae, in oblivionem venisse vel temporibus intercidisse videntur, non minus autem multae, quae, quamquam apud ceteros quoque antiquarios reperiuntur, ex prisca latinitate non citantur, sive quod revera illis linguae temporibus nondum in usu fuerant, sive quod exigua

---

[1]) cf. Sittelivm Jahresber. 1891 p. 231: Für die Epigonen kamen ausser den archaischen Klassikern Cicero und Vergil mit ihren Zeitgenossen in Betracht. Einen Gegensatz zwischen jenen und diesen konstruieren zu wollen, als ob mit Fronto eine Periode des Archaismus angebrochen sei, ist ein Unternehmen, das weder durch die litterarhistorischen Zeugnisse noch durch die Sprache Frontos und seiner Nachfolger selbst gestützt ist. . . . . . Die Vorgänger Ciceros und Vergils wurden zu allen Zeiten geehrt und gelesen. Attamen isti antiquarii scriptores priscos magis imitati sunt quam ullus priorum.

[2]) cf. Woelfflinii Archiv VII 475 sq.

litterarum priscarum fragmenta, quae ad nos pervenerunt, casu infelici illas voces non continent.

Accurate igitur inter archaismos et africanismos vel inter ea, quae priscorum et ea, quae Afrorum propria erant, discerni nequit. Nihilominus in hoc capite ex libris Tertullianeis ea enumerabo, quae cum veri similitudine ad priscam latinitatem referri possunt.

Antehac autem meum est breviter de Tertulliani studiis vel notitia scriptorum romanorum agere; quantum enim ille scriptoribus aliis imprimisque veterioribus debeat, adhuc nondum explicatum est.

De solis **Vergilii** et **Apulei** apud Tertullianum mentionibus pauca verba fecit van der Vliet in studiis ecclesiasticis I p. 9 sq., quaestionem adumbrans magis quam absolvens. Atque de Vergilii quidem commemoratione dicit: ‚Attamen ne horridus quidem ille poetam Romanorum 'laureatum' omnino spernit, quem fere solum citat, neque id nisi paucissimis locis, cum Lactantii opera Vergilianis scateant‘. Tum sex locos affert, in quibus versus Vergiliani citantur auctore non nominato, atque ita pergit: ‚Haec omnia, sane notissima, sine poetae nomine adlata sunt, quem bis tantum citando nominatim indicavit‘. De Apuleii autem recordatione idem vir doctus haec disserit: ‚Vix fieri potest, quin Tertulliani lectori in mentem veniat quaerere, legerit noveritne auctor scripta popularis aetate sibi antecedentis, Apulei. Quod ut per se ipsum satis veri simile, sic ad probandum haud ita facile est‘. Et infra: ‚Praecipue in libro de pallio, ad quem etiam superiora similitudinis cum Apuleianis vestigia omnia pertinent, multa Floridorum auctorem in memoriam revocant: universus libelli color tenorque rhetoricae potius ἐπιδείξει quam fidei apologetae congruunt. Nimio nec non artificiosiore ornatu oneratur magis et obscuratur quam decoratur‘. Ceteroquin iure miramur, quam exigua et incerta vestigia Apuleiana in libris Tertulliani sint, nam praeter vocabula aliquot utrique communia, quae infra enumerabuntur, adhuc perpauca et

fere nulla reperta sunt, ex quibus effici possit, nostrum ad Apulei libros alludere aut omnino eos novisse. Et verborum illorum magna pars certe Afris hominibus illius aetatis in usu fuit, etiamsi apud alios scriptores fortuito non deprehenduntur. Universum autem aestimanti nonne credibile atque verisimile est Tertullianum, severum illum magistrum morum, Apuleium, lascivum illum et petulantem rhetorem, prorsus sprevisse?

Sed hucusque de Vergilio et Apuleio.

Nunc ad ceterorum scriptorum mentiones venio. Sed cum hanc rem fusius exponere ab hoc loco alienum sit, satis habebo scriptores latinos graviores enumerare, qui a Tertulliano commemorantur vel citantur, ut perspiciatur, quantum notitia illius litterarum Romanarum patuerit quantumque ex eis mutuari potuerit.

Non errare me puto opinatus Tertullianum ut laudatorem vitae simplicis et castigatorem temporum novorum antiquiores scriptores recentioribus praetulisse. Nam cum poetas aureae aetatis omnino sprevisse videatur, quod praeter Vergilium et Ovidium (Val. 12 in) nullum nominat, vetustiorum mentio aliquoties saltem occurrit. Eorum, qui huc pertinent, agmen ducat **Ennius,** qui bis citatur:

‚primus omnium Ennius, poeta Romanus, Coenacula maxima caeli, simpliciter pronuntiavit' Val. 7;

‚pavum se meminit Homerus Ennio somniante an. 33.

Pacuvii deinde versum affert de pall. 3:

Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera (sc. testudo).

Lucretius bis citatur, primum an 5: tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res' (rer. nat. I 305), iterum Marc. IV 8 (idem versus).

Iuvenalem, et ipsum castigatorem morum, nominatim nusquam afferre videtur, sed cum initium libri de pudicitia scriberet, haud dubie in mente habebat principium satirae sextae Iuvenalis, in qua itidem de pudicitia vel impudicitia agitur. Etiam alibi noster haud raro indignationem Iuvenalianam affectavit.

Tres, ni fallor, affert mimographos:

Laberium, Novium, Lentulum.

Ac **Laberius** quidem non solum nominatim affertur apol. 48 in: ‚ut ait Laberius de sententia Pythagorae, hominem fieri ex mulo, colubram ex muliere‘, sed verba etiam eius citantur pall. 1: ‚arietem, non quem Laberius reciprocicornem et lanicutem et testitrahum‘.

Novii, fabularum Atellanarum scriptoris, Fullones memorantur in eodem de pallio libro, qui et ipse sermonem comoediae hic illic sapit; cf. pall. 4 (Cleomachus) ‚inter Fullones iam Novianos coronandus‘.

Ibidem commemorantur **Lentuli** mimographi Catinenses: pall. 4 (Cleomachus) ‚meritoque mimographo Lentulo in Catinensibus commemoratus‘. Quem poetam nominat etiam nat I 10: ‚dispicite apud vos Lentulorum et Hostiorum sacrilegas venustates‘ et in loco gemino apol. 15 in (ubi tamen pro Hostiorum exstat Hostiliorum).

Saepissime omnium veteriorum scriptorum mentio fit **Varronis**; cuius libros rerum divinarum se in suum usum contulisse ipse T. testatur: nat II 1 ‚elegi ad compendium Varronis opera‘. Praeterea cf. spect. 5 (p. 6 R.): ‚sed et si Varro ludios a ludo id est a lusu interpretatur e. q. s.

nat I 10 (p. 76 R.) ‚ceterum Serapem et Isidem et Arpocraten et Anubem prohibitos Capitolio Varro commemorat‘; ib. p. 79: ‚Romani stili Diogenes. Varro, trecentos Joves, seu Juppiteres dicendum est, sine capitibus inducit‘ (fere idem redit apol. 14 ex ‚Romanus, Cynicus Varro‘); nat II 3 (p. 98) ‚credi proposuit Varro et qui Varroni indicaverant animalia esse caelum et astra‘; ib. II 13 in ‚Varro et qui cum eo somniaverunt‘; insuper adeas nat II 5 in . 12 p. 116.

Ciceronem, quamquam eloquentissimum oratorum Romanorum ducit (apol. 11 ex ‚quis sublimior Pompeio, felicior Sylla copiosior Crasso, eloquentior Tullio?‘) non imitatus est, cum non pauci ecclesiastici scriptores Ciceroniani sint (velut Minucius, Lactantius, Augustinus, Hieronymus); et aliquoties

tantum eum citavit; cf. an. 24: (memoria) quam et ipse Plato sensuum . . . . et intellectuum salutem et Cicero thesaurum omnium studiorum praedicavit (or. I 5, 18); apol. 50 multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis.

Sallustius memoratur an 20: 'Sallustius vanos Mauros et feroces Dalmatas pulsat', ad quem locum Reifferscheidius attulit: hist. I fr. 63 et fr. inc. 73 Dietsch.

Senecae philosophi passim mentio fit, quippe cuius sententiae multae christianis similes sint. Versum ex Troadibus (v. 395) ter citat: res. car. 3 'post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa', item an. 42; non ad verbum exstat res. car. 1: 'ait et Seneca omnia post mortem finiri, etiam ipsam.' Atque ex libro de beneficiis (IV 6, 6 extr.) sententiam affert an. 20 in: 'sicut et Seneca saepe noster: insita sunt nobis omnium artium et aetatum semina magisterque ex occulto deus producit ingenia.[1])

Libros Senecae nunc deperditos nominat apol. 50 'multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis'. et ib. 12 'idem estis, qui Senecam aliquem pluribus et amarioribus de vestra superstitione perorantem reprehendistis'.

Non est mirandum Tertullianum legisse **Tacitum** et **Suetonium**, qui eius temporibus in omnium manibus erant; et illum quidem vehementer impugnat nat I 11 et apol. 16, quod venerationem capitis asinini primus Christianis imputavisset, hisce verbis: 'Cornelius Tacitus, sane ille mendaciorum loquacissimus' e. q. s.

Suetonius autem de Nerone citatur an. 44; 'et Neronem Suetonius et Thrasymedem Theopompus negant umquam somniasse' (Suet. Ner. 46), atque ad Suetonii vitas

---

[1]) e memoria T. citare videtur, cum apud Senecam legamus: insita sunt nobis omnium aetatum, omnium artium semina e. q. s.

alludere videtur scorp. 15: 'vitas Caesarum legimus: orientem fidem Romae primus Nero cruentavit'. cf. spect. 5 extr.

Nunc ad **Plautum** venio. Credibile per se est Tertullianum, hominem magno acumine praeditum, qui faceto et salso sermoni et ipse perquam studeret, comoediis Plautinis valde delectatum esse, sive eas in theatris, quamdiu ethnicus erat, audivit (id quod vix verisimile est, cum Plautinae comoediae illis temporibus non iam actae esse videantur), sive legit. Et sunt in libris vestigia indubitata, quibus probetur Tertullianum Plauti accuratam notitiam tenuisse, etiamsi nusquam nomine eum citavit.

Profecto vix aliter potest explicari tot vocabula Plautina apud Tertullianum redire, etsi concedatur nonnulla in sermone vulgari servata fuisse. Sed unum argumentum iam hic proferatur: Legitur in libro de pallio (cap. 3), ubi T. iocose de chamaleonte disserit: 'Chamaleonti circumspectu emissicii ocelli, imo luminis puncta vestiginant'. Quae verba alludunt, si quid credimus, ad Plaut. Aul. 1, 1, 2 ‚exeundum hercle tibi hinc est foras, circumspectatrix cum oculis emissiciis'. Alia infra addentur indicia. His autem peractis ad archaismos ipsos accedamus; et brevitatis causa hisce signis utar:

T. significat vocabulum, quod apud solum Tertullianum occurrit;

Tp. vocabulum, quod T. primus habet.

ἁ λ. vocabulum, quod semel tantum invenitur.

1. Amant prisci scriptores, dumtaxat comici, **verba frequentativa** ponere, ubi verba simplicia idem fere valent; quod ut alii Afri, ita T. quoque affectavit:

adiutare, quod apud priscos (Varr. r. r. 2, 7. Ter. And. 1, 3, 4) occurrit, a Gellio quoque receptum (1 3, 14 ut etiam iniquam voluntatem illius adiutemus; cf. 6, 3, 3; 15, 22, 2) legimus pat. 5: quid ad peccandum adiutaret (ubi cod. Vind. et Leid. falso praebent 'adiuvaret').

defensare habent praeter alios Plaut. Bacch. 3, 3, 39 ‚dum te poteris defensare iniuria' et Gellius (6, 3, 47

pluribus id propugnaculis defensat; 7, 16, 11 quasi propulsabat invidiam et defensabat invidiam).

Tert. praebet haec:

hederae natura sit cerebrum ab heluco defensare cor. m. 7;

quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit ib. 11.

lusitare legitur apud Plaut. capt. 5, 4, 6 aut anites aut coturnices dantur, quicum lusitent et apud Gell. 18, 13, 1 alea quadam festiva et honesta lusitabamus et apud nostrum scriptorem: nat II 13 (p. 124 R.) de quo poetica sic lusitavit.

mussitare[1]) non semel Plautus et Terentius scripserunt (e. g. P. mil. 3, 1, 120; Ter. adel. 2, 1, 53), et satis saepe Tert.: e. g. pud 7 (p. 231 R.) Pharisaei — indignati mussitabant; ieiun. 5 (populus) in Moysen et Aaron mussitavit.

obiectare praeter Plautum (trin. 3, 2, 28, merc. 2, 3, 76) et Sallustium usurpaverunt Apul. flor. 3 ex: hoc genus crimina sapienti exoptanda, Apollini obiectata; Gell. 6, 12, 4 inter pleraque alia, quae obiectabat, id quoque probro dedit; 13, 22, 1; Tert. scorp. 6 nemo tamen agonis praesidem sugillans erit, quod homines violentiae obiectat; cor. m. 10 exempla nobis obiectantur.

pensitare, rarius aurea aetate, saepius apud Gellium legitur (e. g. 1, 4, 1 aut virtutes pensitabat aut vitia rimabatur), semel, ni fallor, apud Tert. apol. 5 in: facit et hoc ad causam nostram, quod apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur.

vectare, postquam poetae Augustei praeierunt, adhibet Gell. 16, 19, 16 Delphinum vectavisse; translate Tert. an 15 (p. 320 R.) Asclepiades etiam illa argumentatione vectatur.

---

1) cf. etiam Apul. apol. 71 ex: hunc ille timorem mussitabat.

Atque huc traho etiam haec:

compulsare, etiamsi ex priscis scriptoribus non citatur, quin huc pertineat non dubito. Reperitur enim apud Apul. met. 7, 21: imaginem suavii mentiendo ore improbo compulsat et morsicat, et in translata significatione (= contendere) apud Tert. apol. 20 regnis regna compulsant.

cursitare, quod a Ter. (Eun 2, 2, 47), Hor. (sat. II 6, 107) Suet. usurpatum, redit apud Tert. apol. 35 catervatim cursitare ad iniurias.

iactitare occurrit apud Liv. 7, 2, 11 significans 'palam referre', alio autem sensu apud Tert. res. car. 18 agitatur in somnis et iactitatur, ubi idem fere valet atque 'occupatum esse'.

quassare transitive optimi scriptores usurpaverunt, intransitive autem imprimis prisci (Plaut. Bacch. 2, 3, 71. Caec. com. 271) eorumque imitatores, velut Apul. (e. g. met. 3, 26 quassanti capite; et saepius) et Tert. pall 2 ‚Hadria Tyrrhenoque quassantibus'.

Non nimis pauca verba frequentativa imitatione prisci sermonis adductus Tert. sibi ipse finxit, vel solus eiusmodi vocabulis usus vel primus. Affero:

cruditare (T.) apol. 9, scorp. 5, ieiun. 16 in;

desultare (ἁ λ) an. 32;

excussare (= excitare) [ἁ λ] virg. vel. 7;

'humanam libidinem excussat' Pamel., sed rectius fortasse alii legunt 'excusat';

illectare (= illicere) [ἁ λ] Marc. II 67;

obmussitare (ἁ λ) pall. 4;

dispectare (ἁ λ) Marc. II 17;

exhereditare (Tp.) exh. cast. 12;

constrictare (ἁ λ) Marc. II 16 in;

obsoletare (T.) scorp. 6; apol. 15;

supervectari (ἁ λ) bapt. 4.

2. Sequantur nunc ea **vocabula composita**, quae cum praepositione **cum** formata sunt et quae plus minus simplicis verbi significationem induerunt.

Quorum nonnulla iam priscis scriptoribus usitata erant, utpote qui ipsi quoque gravitatem et plenitudinem elocutionis amarent. Haec mihi adnotavi:

concessare, quod Plautus aliquoties scripsit (e. g. asin. 2, 2, 24 Sed quid ego hic properans concesso pedibus?) atque etiam apud Frontonem redit. Tert. praebet haec: Prax 1 coegit et litteras pacis revocare iam emissas et a proposito recipiendorum charismatum concessare, et fuga 6 concessavit praeceptum.

condecet comicorum erat (cf. Plaut. Amph. 2, 2, 90) et ab eis Tertulliano affluxit:

paen. 11 num ergo in coccino et Tyrio pro delictis supplicare nos condecet? Marc. II 16 ex: eum pati condecet.

conduplicare priscorum scriptorum plures admiserunt, velut Plautus (e. gr. Pseud. 5, 1, 18 corpora c. = inter se complecti) Terentius (Phorm. 3, 2, 31), Varro (r. r. 2, 4) et Tert. sibi ascivit pat. 14: 'quae amiserat conduplicata possedit'. Hanc lectionem codicis Leidensis veram esse cum Oehlero consentio, quia codicis Vindob. lectio 'centuplicata' discrepat cum libris sacris.

complacere comicis imprimis poetis et Afris peculiare est, qui ab illis fortasse receperunt; cf. praeter Gellium 17, 9. 18, 3 (consilium acceptum ab universis et complacitum est) et Apul. mag. 15 Tert. pat. 1: opus domino complacitum.

conspuere praeter Plautum et Petronium etiam Furius Bibaculus scripsit ap. Quint. 8, 6, 17 'Juppiter hibernas cana nive conspuit Alpes', quem versum Hor. sat II 5, 41 ridicule detorquet pro voce 'Juppiter' supponens 'Furius'. Memorandus etiam est locus Tertullianeus an. 50 in: hoc stipulata est dei vox, hoc spopondit omne, quod nascitur, ut iam hinc non Epicuri stupor suffundatur negantis debitum istud ad nos pertinere, sed haeretici magis Menandri Samaritani furor conspuatur dicentis mortem ad suos non modo non pertinere, verum nec pervenire.

constabilire, quod verbum comicorum poetarum proprium fuerat, Tert. rursus ad lucem protraxit Val. 12: exinde refecti sunt et constabiliti sunt; res. car. 2 sicut enim negata carnis resurrectione concutitur (sc. unio divinitatis), ita vindicata constabilitur.

Ut perspiciatur, quantopere T. tales formationes a praepositione 'cum' incipientes dilexerit, non contentus eis voculis, quas vetustas ei suppeditabat, nonnullas enumerabo, quas ipse sibi finxit:

concarnare (Tp.) car. Chr. 20;
confermentare (ἁ λ) Val. 31;
conflabellare (ἁ λ) spect. 25;
compinguescere (ἁ λ) an 25;
[1])contenebrare (Tp.) praescr. 12, apol. 2;
conviolare (Tp.) apol. 39;
conviscerare (ἁ λ) car. Chr. 20.

Ubique praepositio 'cum' nihil efficit nisi notionem verbi amplificat et auget amissa praepositionali significatione.

Cuius usus exemplum praebet conscire, quod primus Horatius (ex analogia graeci verbi σύνοιδα ἐμαυτῷ) induxit pro 'conscium sibi esse' (ep. I 1, 61 nil sibi conscire), Tert. vero pro 'non nescire' usurpavit; car. Chr. 3 'quid tanti fuit edoce ut consciens Christus quid esset id se quod non erat exhiberet?' Sic equidem lego.

Fortasse sane hoc loco cum cod. Agob. scribendum est 'edoce quod sciens', quam lectionem Oehlerus praetulit emendationi Rhenani 'ut consciens' ex lectione reliquorum codicum, qui 'cum sciens' praebent, collectae.

3. Quoniam de verbis frequentativis et a praepositione 'cum' incipientibus dixi, nunc nonnulla alia verba addam, quae priscorum si non ipsius Plauti imitationem prae se ferunt vel in sermone vulgari Africae a comicis priscis dependente duraverant.

blatire, verbum Plautinum et, ni fallor, vulgare (cf. Amph. 2, 1, 79 ita nugas blatis; Curc. 3, 1, 13) redit in tractatu

[1]) cave cum hoc verbo confundas contenebrascere, verbum impersonale, quod iam apud Varr. r. r. 2. 2. 11 obvenit: rursus pascunt, quoad contenebravit

de pallio, quem archaismis scatere iam monui, cap. 2 'ut Silenus penes aures Midae blatit'.

caecutire post Varronem (sat. Men. 7, 1. 37, 7) adhibuerunt Apul. flor. 2 'omnes quodammodo caecutimus' et translate Tert. Marc. II 2 qui in inferiorem deum caecutis, quid in sublimiorem?

carnificare, verbum iam a Sisenna (ap. Prisc. 793 P.) usurpatum, repetivit Tert. nat I 2 (p. 60, 26 R.): ceteros ad hoc tenditis et carnificatis.

dedecorare quod Woelfflinio iudice (Archiv VII 475 sq.) scriptoribus priscis usitatum, rarius apud optimos scriptores repertum ab archaistis asciscitur, velut Min. Fel. 27, 12 et Tert. spect. 30 (p. 29 R.) hic est ille harundine et colaphis diverberatus, sputamentis dedecoratus.

despuere (= respuere) in transitiva et translata significatione obvium apud Plautum asin 1, 1, 26 'teque obsecro hercle, ut quae locutus es, despuas' et Catullum c. 50, 18 precesque nostras, oramus, cave despuas, ocelle, i. e. despicias, etiam apud plures Afros in usu est: cf. Min. Fel. 8 templa ut busta despiciunt, deos despuunt et Arnob. 3, 15 despuitis nos ut rudes. Tert. praebet haec: idol. 11 (Christianus) 'quo ore fumantes aras despuet et exsufflabit'; absolute positum habes nat I 10 (p. 75 R.) quo magis oneramini credentes esse et contemnentes, colentes et despuentes.

ferocire iam Cato usurpavit, quod antiquarii repetiverunt, velut Min. Fel. 6, 3 et Gell. 1, 11 nec non Tert. apol. 5 reperietis primum Neronem in hanc sectam cum maxime Romae orientem Caesariano gladio ferocisse.

fumigare, vox Varroni et Columellae haud ignota, redit apud Tert. apol. 42 sciant Sabaei pluris et carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari quam deis fumigandis. Adde etiam: Arnob. 7, 20 ,sint nigra et

fumigata' et Gell. 19, 1, 3 qui intransitive vocem usurpat: 'fumigantes glebi'.

mutire complurium priscorum proprium (Enn. Plaut. Ter.) Tert interdum adhibuit: praescr. 24: alius postea in paradisum ereptus debet ostendi, cui permissum sit eloqui, quae Paulo mutire non licuit; test. an. 6 omnis anima suo iure proclamat, quae nobis nec mutire conceditur.

propitiare et Plautus dixit (Poen. 1, 2, 120 ut Venerem propitiem) et archaistae assumpserunt, velut Apul. met. 2, 10, Min. Fel. 29, 4.

Tert. apol. 16 (p. 177 O.) cum lignum aliquod propitiatur (= placatur); spect. 12 (p. 14 R.) quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat.

protelare vetustis scriptoribus erat propellere vel propulsare, Afri autem hac voce plerumque translato sensu utuntur (cf. quos affert Oehlerus ad paen. 4.)

Tert. duas significationes admisit 1) = perducere vel pertrahere, ut paen. 4: haec te peccatorum fluctibus mersum prolevabit et in portum clementiae protelabit; spect. 1 ut ignorantiam protelet in occasionem.

2) = vitam producere vel prorogare, quo sensu ICti quoque hanc vocem adhibuerunt; cf. Marc. IV 21 sed sescenta milia hominum protelavit.

satagere, verbum imprimis [1]) Plauti proprium, reperitur apud Tert. paen. 6 ille satagit, hic neglegit.

ruspari redolet vetustatem, nam usurpatum erat iam ab Acc. tr. 441. 489 et a vetere poeta apud Festum p. 265. 25 'ego ibo, ut latebras ruspans rimer'.

Denuo emergit apud Apul. mag. 41 si ventrem rusparer et Tert. pall. 2 'Itaque (gens humana) colere

---

[1]) cf. Lucil. fr. 500 (Baehr frag. poet rom p. 212) producunt quibus haec satagant liberos, ubi codices praebent 'faciant'

omnia, si demum intellegis alibi stipantem, alibi deserentem, runcare atque ruspare instituit' et vide quae Oehlerus ad hunc locum adnotat.[1])

4. Adiciantur nunc **substantiva** et **adiectiva**, quae ex prisca latinitate videntur sumpta esse.

a) substantiva.

bulga (vel vulga), vox gallica (teste Festo); priscis imprimisque satirarum scriptoribus in deliciis fuisse credibile est (cf. Lucil. fr. 450 (Baehrens p. 204) et Varr. sat. Men. 61, 3).

Apud Tert. reperitur in loco salebroso: nat. I 10 (p. 78 R.): omitto quae bulgae aut sacrilegae gulae videbuntur **

cantrix et Plautus (trin. 2, 1, 23) et Varro (r. r. 3, 5, 14 aves cantrices) adhibuerunt; redit haec vox apud Tert. Marc. III 5 non utique ab hirundinum pullis et vulpeculis et illis monstruosis fabulosisque cantricibus fausta omnia relaturus est.

capulus (vel capulum), quae vox cum apud scriptores aureae aetatis de manubrio ensis dicatur, in prisca et in sequiore latinitate significat arcam, in qua defunctorum cadavera efferuntur. cf. Plaut. asin. 5, 4, 43, Lucil. fr. 52 (Baehrens p. 147) Varr. ap. Non. 4. 5 Apul. met. 8, 13 ubi vide Hildebrandum.

Tert. res. car. 32 triduo concoquendae carni viscera ceti suffecissent (sc. magis) quam capulum; ib. 38 in (dei) de capulis, de sepulchris mortuos resuscitantis.

conservitium legitur et apud Plaut. et Tert. cult. f. II 1 in, qui cum servum dei more Christiano se appellet, haec dicit: 'postremissimus equidem eo iure conservitii et fraternitatis audeo ad vos facere sermonem.

crepitacillum, quod apud Tert. bis invenitur, primum

[1]) Memorandum est Tertullianum hic activa forma uti pro deponentiali (ni fallor, propter analogiam verbi 'runcare') id quod interdum sibi permittit; cf. e. gr. nat. II 13 aliud quid suspicare non datur; verbum remunerare plerique Afri forma activa adhibuerunt (cf. Leipold: Ueber die Sprache des Juristen Aem. Papinianus p. 34 et quae affert Blockhuis l. c. p. 61.)

ubi stilo iocoso et satirico Marcionis opinionem de Christi nativitate impugnat (III 13 signa belli non tuba, sed crepitacillo daturus), iterum, ubi se ipse exscribens Judaeos isdem verbis aggreditur (Iud. 9), fortasse ex Lucretii lectione (5, 229 nec crepitacillis opus est) Tertulliano notum erat.

deieratio obvenit in inscr. fratr. Arval. et postea intermortuum recedit apud Tert. paen. 4 ex: quod etiam humano more sub deieratione testatur; idol. 20 ex: quid erit deieratio per eos quos eierasti, quam praevaricatio fidei cum idololatria?

edulia iam occurrit apud Liv. Andr. Odis. 28 (Baehrens frag. poet. roman. p. 41) et apud Afran. ap Non. I 117 commercatis conquisite edulibus et Varronem ap. Non. II 310 cum primores cibo et potione imitarent pueros, significantur ab edulibus Edusae. Recedit haec vox fere intermortua apud plerosque antiquarios, e. g. Front. p. 18 (Nab.) quod evenit in plebeis istis edulibus; Apul. met. 5, 3 vini nectarei pocula eduliumque variorum fercula subministrantur (sic van der Vliet); ib. 10, 16 omne genus edulium solidorum; Min. Fel. 30, 6 edulia pecora; Gell. 6, 16, 4 genera nominaque edulium. Nec Tert. respuit hanc vocem Marc. V 19 ex: interdictionem quorundam edulium.[1])

fartura a Varrone (l. l. 4, 22) et Columella (8, 9) scriptum. habes Val. 27, ubi tamen codices farsura exhibere videntur, cum Oehlerus sic textum ediderit: 'fuisse autem et in Christo etiam ex Achamoth spiritalis seminis condimentum, ne marcesceret scilicet reliqua farsura'.

mercimonium iam a Turpilio (com. 204) et Plauto (most. 3, 3, 9. 12; Amph. prol. 1) usurpatum, redintegratur a Tertulliano, postquam Tacitus praeivit (ann. 15, 38) pud 7: 'pericula mercimoniorum in mari exercent'.

opimitas sitne mutuatus Tertullianus ex Plautino sermone (asin. 2, 2, 16; capt. 4, 1, 2,) an sibi ipse denuo finxerit, ut

[1]) alia forma exstat ieiun 2 (p 276. 1 R.): certorum eduliorum exceptione: cf. Varr. l. l. 7, 3, § 61.

qui magnam copiam substantivorum in — tas exeuntium novaverit ambigo.

Legitur pud. 9 'opimitate dominici corporis vescitur, eucharistia scilicet'.

patagium (παταγεῖον) primum apud Naev. tr. 48 (pallis, patagiis, crocotis, manicis) occurrere videtur et redit rara haec vox apud antiquarios: Apul. met. 2, 9 sinuato patagio residentes (crines) et Tert. pall. 3 (NB!) pavo (dat.) est pluma omni patagio inauratior, qua terga fulgent.

Fortasse etiam pollinctor ex priscis scriptoribus [1]) manavit Tertulliano apol. 13 quo differt ab epulo Jovis silicernium? a simpulo obba? ab haruspice pollinctor? scorp. 7 ex: quis illi (sc. deo) exprobrasset funestam religionem et lugubres ritus et aram rogum et pollinctorem sacerdotem? [2])

prosapia [3]) sermonem priscum olere iam Woelfflinius (Archiv VII 475 sq.) confirmavit. Temporibus enim Ciceronis cum haec vox obsoleta videretur (Tim. 11, 39) et Quintilianus (1, 6, 40 et 8, 3, 36) usum eius etiam improbaret, ab antiquariis libenter ex obscuritate prolata est, velut a Min. Fel. 14, 1 Octavius, homo Plautinae prosapiae; [4]) ac ne a Tertulliano quidem vitatur cf. Jud. 1 in: homo ex gentibus nec

---

[1]) cf. Plaut. Poen. prol. 63 quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat; asin. 5, 2, 60 ecquis currit pollinctorem arcessere? cf. etiam Apul. flor. 19 Jam miseri illius membra omnia aromatis perspersa, iam os ipsius unguine odore delibutum, iam eum pollinctum.

[2]) Trahit huc etiam praestigia, quam vocem imprimis priscorum et antiquariorum esse constat, etiamsi ab aliis scriptoribus (velut Cicerone) non plane vitatur. Birtius, qui mecum communicavit hanc coniecturam suam: nat. I 7 (p. 67, 27 R.) 'videte, qualem praestigiam adversus nos subornastis. Bene hoc modo mirum illud 'prodigiam', quod Reiff. recepit, eliminatur. cf. Marc. III 34 extr.: O praestigia magnae etiam promissionis! Quo loco demonstratur hoc substantivum a Tert. etiam numero singulari adhiberi, nec solum plurali.

[3]) Ex priscis scriptoribus locos affert Roenschius l. c. p. 237.

[4]) Videndus est ad istum locum Schanzius in Mus. Rhen. 50, 122.

de prosapia Israelitum Judaeus; nat. II 12 (p. 120 R.) ea (Sibylla) senario versu in hunc sensum de Saturni prosapia et rebus eius exponit.

prostibulum apud Plautum (aul. 2, 4, 6) occurrit et Afros:[1]) Tert. praescr. 30: immane prostibulum; spect. 17 ipsa etiam prostibula — in scaena proferuntur; apol. 6 'video et inter matronas atque prostibulas nullum de habitu discrimen relictum, ubi tamen femininum codicibus tectum videtur.

rupex primum apud Lucilium obvenire videtur (fr. 906 Baehr p. 261) varonum ac rupicum squarrosa, incondita rostra.) Postea remeat apud Gell. 13. 9. 5 'sed enim veteres nostri non usque eo rupices et agrestes fuerunt atque non semel apud Tert. pall. 4 (p. 934 O.) ille (sc. Achilles) apud rupicem et silvicolam et mostrum eruditorem; apol. 21 (p. 205 O.): licuerit et Christo commentari divinitatem, rem propriam, non qua rupices et adhuc feros homines — ad humanitatem temperaret; an. 6 (p. 307 R.) quid autem facient tot ac tantae animae rupicum et barbarorum?

scortum, quod apud priscos scriptores servabat propriam significationem (= pellem) teste Varr. l. l. 7, 5 § 84 'pellem antiqui dicebant scortum', cum postea tantummodo de puella publica diceretur, Tertullianus in libro de pallio cap. 4 (p. 937 O.) prisco illo sensu non veritus est usurpare: 'qualis ille Hercules in serico Omphales fuerit, iam Omphale in Herculis scorto designata descripsit'.

succussus iam in Pacuvii fragmentis reperitur (tr. 257 pedetentim, inquit, ite, et sedato nisu, ne succussu arripiat maior dolor) et revivescit demum apud Apul. met. 3, 21 'membra tremulo succussu quatit' et Tert. an. 49 in: animadvertant succussus et nutus et renidentias eorum (sc. infantium).

---

[1]) cf. etiam Arnob. 6. 13 qui de pathico hac voce utitur.

tenus (τὸ τένος) priscis est laqueus (velut Plaut. Bacch. 4, 6, 23 ita intendi tenus), quam vocem apud nostrum in libro de pallio redire notabile est, cap. 3 'quem philyrae tenus iunxerat'; sic enim et codices praebent et Salmasius ac Rigaltius receperunt; neque opus esse credo cum Oehlero mutare 'taeniis', non enim omnino improbabile est Tertullianum ad illum locum Plautinum alludere.[1])

b) adiectiva.

amasius citatur ex Plauto (Cas. 3, 1, 13 miserrimum hodie ego hunc habebo amasium) et antiquariis (Apul. met. 3, 22 et 7, 21, ubi tamen optimi codices pro 'amasius' exhibent 'amasio'; Gell. 6, 7, 8 delphinos venerios esse et amasios); etiam Tert. unum exemplum praebet: apol. 3: quis iuvenis! quam lascivus, quam amasius!

aquilinus, vocabulum iam Plauto usitatum (Pseud. 3, 2, 63 aquilinae ungulae) ab antiquariis in usum reductum videtur; cf. Apul. met. 2, 2 oculi — in adspectu micantes prorsus aquilini.

Tert. paen. 12 (p. 664 O.) unguium aquilinum in modum efferatione.

bardus (= βραδύς) huc pertinere Sittelius l. c. p. 124 affirmat, cum post priscos comicos et unum Ciceronis locum (fat. 9) denuo emergat apud Tert. Hermog. 36 pictor te bardior non est. cf. etiam Arnob. 2, 19.

bellipotens a primo Ennio dictum et a poetis optimis satis amatum (e. gr. a Vergilio, qui hoc epitheto Martem non semel nominat) Tertullianus utrum priscis an posterioribus poetis debeat, diiudicari nequit. cf. Marc. I 6 alterum deum iu-

---

[1]) In transitu attingere volo substantiva verbalia in -ela exeuntia, quae constat apud solos fere priscos scriptores in usu fuisse et apud scriptores aureae aetatis pauca inveniri. Aetate autem depravatae linguae quantopere increbuerint, vix operae pretium est exemplis comprobare. Plurima huiusmodi nominum fortasse apud antiquarios obveniunt ac Tert. quoque nonnulla saltem praebet nove formata, quae breviter afferre liceat. captatela (ἅ λ.) pall. 5 in; fovela (ἅ λ.) an. 7; monela (T.) pat. 8; Marc. IV 34; peccatela (ἅ λ.) an. 40.

dicem, ferum, bellipotentem (sc. Marcionem constituere); ib. III 14 sic bellipotens et armiger Christus creatoris.

condignus, adiectivum proprie Plautinum (Amph. 1, 3, 39. mil. 2, 6, 25), ab archaistis receptum (Apul. met. 10, 12 providentiae divinae condignum excipit exitum; Gell. 3, 7, 1 facinus Graecarum facundiarum magniloquentia condignum; Arnob. 1, 1, hostilibus condignos odiis nos esse; ib. 23 qui ferre nominis huius auctoritatem condigni sunt) ne Tert. quidem respuit: cult. f. II 9 in: simplicitatem condignam divinae disciplinae (ubi genetivus ex analogia vocis ἄξιος explicandus est) et Marc. II 7 deo condignus.

decrepitus, vox comicorum priscorum (Plaut. merc. 2, 2, 43 vetulus, decrepitus senex; Ter. adelph. 5, 8, 16 decrepita anus) semel, ut videtur, a Cicerone usurpata (Tusc. I 39, 94 decrepita aetas) redit apud Tert. nat. II 9 (p. 112) ob unicum puerum et decrepitum senem (sc. Anchisem), postquam praeivit Apul. apol. 70 homini rusticano et decrepito seni.

edentulus Tertulliano certe ex Plauti lectione obtigit (cf. most. 1, 3, 118 vetulae edentulae; cas. 3, 2, 20 propter operam illius hirqui interpolis edentuli; per iocum Plautus etiam vinum antiquum nominat edentulum Poen. 3, 3, 87). Tert. res. car. 61 denique et edentulos audi (sequor lectionem Gelenii); pall. 5 (p. 953 O.) terrenae bestiae et edentulae.[1])

De adiectivo emissicius iam supra verba feci.

extimus[2]) ut priscis scriptoribus peculiare est, ita eorum imitatoribus (Apul.[3]) Min. Fel.) usitatum, id quod Woelfflinius

---

[1]) repetivit hanc vocem etiam Arnob. 3, 14 edentulos eos (sc. deos) esse — credendum est.

[2]) affert Woelfflinius Varr. sat. Men. 544.

[3]) Apul. met. 3, 21 in extimis palmulis; ib. 5, 22 extimae plumulae.

l. c. comprobavit; Tert. hoc adiectivum saepius admisit, e. gr. apol. 21 (p. 196 O.) sub extimis curriculis saeculi; Marc. III 18 (p. 146 O.) salvator, cuius cornua essent crucis extima.

illex, vocabulum mere Plautinum, (cf. Poen. 3, 4. 45 illices voluptates; et asin. 1, 3, 68 escast meretrix, lectus illex est, amatores aves) antiquarii receperunt, ut Apul. apol. 76 ex illices oculos; ib. 31 illex animi Venus; nec non Tert. apol. 41 vos rei, publicorum incommodorum illices semper; paen. 9 conversationem iniungens misericordiae illicem.

impuratus pro impurus valde adamaverunt prisci comici (Plaut. rud. 3, 4, 46 Nisi scio probiorem hanc esse quam te, impuratissime; ib. 2, 6, 59 Jam postulabas te, impurata belua; Ter. Phorm. 4, 3, 64 impuratus me ille ut etiam inrideat? Lucil. fr. 46. 50 (Baehrens fr. poet. rom. p. 146. 147) nec minus illorum sectatores, velut Apul. met. 9, 10 nec isto saltem tam nefario scelere impuratissima illa capita confutari terrerive potuere; Min. Fel. 23, 12. 25, 6. Adde his Tert. apol. 23 (p. 215 O.) renuntiant se immundos spiritus esse, quod vel ex pabulis eorum, sanguine et fumo et putidis rogis pecorum, et impuratissimis linguis ipsorum vatum intellegi debuit.

lenonius, vox Plautina (curc. 4, 2, 13 lenonium genus; truc. 1, 1, 30 lenoniae aedes; et saepius) repetitur a Tert. nat. II 10 (p. 113 R.) mulier de lenonio ludo iactitat se somniis Herculi functam.

magnidicus, adiectivum Plauti proprium (cf. rud. 2, 6, 31) videtur a Tertulliano scriptum esse Marc. V 8 ex: 'probet etiam mihi mulierem apud se prophetasse ex illis suis sanctioribus feminis magnidicam', ubi cod. Leidensis et ed. princ. ineptam praebent lectionem 'magnis. Dicam', unde Rigaltius infeliciter coniecit 'magni ducam'. Equidem cum Oehlero non dubito, quin 'magnidicam' sit legendum.

Casu quodam fortasse factum est, ut adiectivum modialis (= modium continens) apud solos Plautum (capt. 4, 4, 8 aulas calicesque omnis confregit, nisi quae modiales erant) et Tertullianum deprehendatur: nat. II 8 'cuius suggestus modialis figura frumentationis eius memoriam obsignat; nisi forte in sermone vulgari haec vox duraverat.

morigerus, quod vocabulum et Plautus (e. gr. Amph. 3, 4, 21) et Apuleius (apol. 14. 75 in et saepius) adhibuerunt, reperitur apud Tert. pat. 4 in: obsequii disciplina morigera subiectio est.

omnimodus = παντοδαπός iure coniecit Muellerus apud Varr. l. l. 7, 3 § 61, ita ut antiquarii hanc vocem a priscis dempsisse videantur; praeter Apuleium enim (met. 5, 25 voculas omnimodas edocens reccinere (v. d. Vliet) apol. 50 et saepius) etiam Tert. hoc verbum admisit: nat. II 2 (p. 95 R. per curiositatem omnimodae litteraturae inspiciendae.

paupertinus priscis adiudicandum esse inde elucet, quod post Varronem, qui eo utitur (ap. Non. II 7, 15 quod sunt paupertina sine elegantia ac cum castimonia) intermortuum videtur, cum non ante antiquarios reviviscat; cf. Apul. met. 3, 13 paupertina Milonis coenula perfunctus; ib. 4, 12 paupertinas pannosasque resculas; Gell. 14, 6, 5 nihil prorsus ad nostras paupertinas litteras congruentem (sc. librum); ib. 20, 1, 30 quod in ius vocato paupertino homini vel inopi — plaustrum esse dandum censuerunt; Arnob. 6, 3 paupertini cordis excogitatione. His appone ex Tertulliani scriptis: Marc. I 14 (p. 62 O) in haec paupertina elementa de tertio caelo descendere laboravit (deus melior); nat. II 17 (p. 132 R) frugi religio et paupertina superstitio.

perpes pro perpetuus reperitur apud Pacuvium (ap. Fest. p. 217) et Plautum (Amph. 1, 1, 123), nec non apud antiquarios e. gr. Apul. flor. 17 vox cohibita silentio perpeti, et Min. Fel. 11, 5 perpetem vitam mortuis pollicentur,

et apud Tert. apol. 18 (p. 185 O): in ignem aeque perpetem et iugem.

propitiabilis iam ex Ennio citatur (ap. Non. 155 huic est animus propitiabilis.) apud quem significat eum, qui facile flectitur; paulo alio sensu Tertullianus hac voce usus est ieiun. 15 (p. 293 R.) ʻnam qui in istis servit, placabilis et propitiabilis deo nostro est.ʼ Hoc enim loco idem est atque ʻgratusʼ vel ʻis, qui placetʼ.

propudiosus, vocem Plautinam (cf. Stich. 2, 2, 10 men rogas, propudiose?) et, ut suspicor, vulgarem (nam adhibuerunt cum Petronius (frag. Tragur. c. 142) tum ʻItalaʼ ap. Tert. pud 19 (bis)) omnes fere Afri repetiverunt, e. g. Apul. apol. 75 ipse propudiosus; Min. Fel. 25, 9 Acca Larentia et Flora meretrices propudiosae; Gell 2, 7, 20 si imperet uxorem ducere infamem, propudiosam, criminosam; Arnob. 5, 25 propudiosi facinoris obscoenitas. Tertullianus, ubi de suo dat, semel admisit: pall 4 (p. 938 O.) tacendum autem, ne quid et illi de Caesaribus quibusdam vestris obmussitent pariter propudiosis.

subverbustus, quae vox ex Plauti fragm. (ap. Fest. p. 309 (a) 18) citatur, non nisi in libro de pallio redire satis notabile est: cap. 4 ʻpassivitas offert libertinos in equestribus, subverbustos in liberalibus.

versipellis translata significatione pro versuto vel astuto Plautus (Bacch. 4, 4, 12) et Lucilius (fr. 455 Baehrens p. 205) scripserunt; quod ab illis Tertullianus mutuatus videtur esse; Prax. 23: tolerabilius erat duos divisos quam unum deum versipellem praedicare; praescr. 7 (dialecticam) versipellem in sententiis.

5. Protinus transire libet ad **adverbia**, quae priscae latinitatis habitum prae se ferunt. Atque primum locum meretur:

fortassean, quae vox et priscis scriptoribus et imitatoribus eorum pariter in deliciis erat; cf. Sisennam ap. Non. II 101 ʻquod fortassean ex voluntate sua summa cum claritudine celeriter confecissetʼ et Acc. ib. 542 ʻfortassean

sit quos hic non mertet metus' et Varr. r. r. 3, 6, 1 gentilitatis causa fortassean tecum duceret serram; ib. 3, 16, 10 hoc dico, quod fortassean tibi satis sit; et Gell. 5, 14, 3 fortassean vitio studioque ostentationis sit loquacior; ib. 6, 3, 53; 11, 9, 1; 16, 5, 13; 19, 8, 6 et saepius.

Tertullianus multis locis 'fortassean' pro 'fortasse' usus est, e. gr. an. 5 in: fortassean exstruentur magis ad auferendum animae corpulentiam; Marc. I 9 fortassean non provocentur; ib. I 28 fortassean — parcat; an. 20 (p. 333, 1 R.) fortassean et de corpore et de valetudine aliquid accedat.

Quae sine magna opera cummulare possum, sed nolo.

A Sittelio (p. 124) huc trahitur etiam fors pro fortasse positum, quam voculam praeter priscos poetae epici quoque veterum imitatores adhibuerunt (Verg. Aen. 5, 232. 12, 183) Compluries deinde apud Afros reperitur et ex Tertulliano quidem haec affero: cult. f. II 13 in: aliqua fors dicet; ux. II 2 fors — putent etiam infidelibus nubere licere; nat. I 8 id fors tunc infantes, quia unicum, facilius commentati paulo modulatius, utpote linguatuli, in inventum alicuius interpretationis impegerint; an. 32 (p. 353) invenirem fors his quoque speciebus animalia. pat. 3 in: fors ut de supernis aestimetur.

Non ab re videtur esse hic statim commemorare deprehendi apud Tert. etiam fortassis, quae vox ipsa quoque vetustatis habitum prae se fert: exh. cast. 9 ex: 'sed in tertium adhuc devolveris et in quartum, et fortassis in plures.

oppido[1]) ut priscis fere omnibus erat usitatius (cf. Plaut. Amph. 1, 1, 143; mil. 3, 1, 40; Ter. Heaut. 4, 4, 11. Cat. 54, 1 Othonis caput oppido est pusillum) ita Quintiliani temporibus oblitteratum erat (teste Quint. 8, 3, 25), sed aetate antiquariorum in sermonem reducitur, velut ab Apul. met. 2, 12 'oppido mira'; et Gell. 6, 7, 2 'oppido quam peritus fuit', 13, 5, 6 'oppido bonum' et saepius. Tert. hanc vo-

[1]) cf. Kalb. Roms Juristen p. 71; Roensch l. c. p. 237

culam uno tantum loco, ni omnia me fallunt, scripsit et hoc, quod memorabile est, in tractatu de pallio c. 3 p. 920 O: capit et alia bestiola versiculum, de mediocribus oppido, sed nomen grande.

praeter quam comici poetae prisci interdum usurpant pro 'magis quam' vel 'plus quam' e. gr. Plaut. Pers. 3, 1, 37 'mulier nulla erit, quin sit mala, quae praeter sapiet quam placet parentibus'; merc. prol. 94 'lucrum ingens facto praeter quam mihi meus pater dedit aestimatas merces'. Quem usum Tert. recepit scorp. 11 p. 170 R. 'haec si non ita accipiuntur, quemadmodum pronuntiantur, sine dubio praeter quam sonant sapiunt'.

Postremum esto:

humanitus tractare,[1] quod est benigne tractare. Quae locutio apud Terentium (heaut. 1, 1, 47) obvenit, unde fortasse ad Tert. redundavit: Marc. III 9 'quia non possent humanitus tractari ab hominibus'.

6. Praepositio **absque**[2] post Plautum et Terentium, qui hac vocula saepius usi sunt, evanuit fere in litteris Latinis, dum reviviscit apud Afros: Salvium Julianum, Frontonem, Apuleium, Minucium, Gellium, non apud Cyprianum et Arnobium, neque in inscriptionibus Africanis teste Kueblero (Archiv VIII 179). Tertullianus saepius hanc praepositionem admisit:

Prax. 4 absque eo, qui ei subiecit omnia;

Marc. II 26 alium absque se omnino non esse;

Marc. III 10 absque mendacio;

---

[1] cf. etiam Marc. V 4 in: 'Atquin non est hoc humanitus dictum'. Alibi atque plerumque humanitus exstat pro 'more humano' vel 'secundum humanam conditionem': sic iam apud Ennium ann. fr. 83 (Baehrens p. 72.)

[2] Draeger I 638. Kalb. l. c. 58. Cicero uno loco 'absque' admisit (Att. 1. 19. 1); semel etiam Quint. (7. 2. 44); ex 'Italae' fragmentis exempla congessit Roensch. p. 389.
Vide praeterea quae Brugmannus de hac praepositione egit in Mus. Rhen. 32. 485.

Marc. V 14 resurrectionem confirmavit absque qua nec corpus aliud dici capit.

Adnecto hic locutionem 'prae manu esse', quae post Plautum (bacch. 4, 3, 9) et Terentium (adelph. 5, 9, 23) compluribus Afris in usu erat (Apuleio, Gellio (19, 8, prae manibus.) Ex Tertulliani libris haec conquisita sunt:

apol. 28 ne prae manu esset iure libertatis dicere; scorp. 10 fulmina prae manu sunt; Marc. V 11 (p. 309, 1 O.) simpliciori responso prae manu erit esse huius aevi dominum diabolum interpretari.

Memorabile denique est test. an. 4: 'prae manu occurrit dicere'.

7. Agmen claudat pronomen **quisque**,[1]) quod apud Plautum saepius pro quisquis positum reperitur, qui usus in aurea et argentea latinitate desideratur, apud Afros autem redit. Nam non solum inscriptiones praebent exempla, ex quibus elucet sermonis vulgaris hoc fuisse: e. g. corp. inscr. VIII 1027 quisque sapis, iuvenis, vivo tibi pone sepulchrum, et ib. 3727 quisque praeteriens titulum scribtum legeris, tactus pietate praecor ut dicas: Januaria, sit tibi terra levis',

sed etiam scriptores Afri, velut Apul. met. 2, 5 (v. d. V). simul quemque conspexit, speciosae formae iuvenem; ib. 7, 9 quique eorum recte sapiunt; Min. Fel. 13, 1 quisque vestrum tantus est, si potuerit, imitetur.

Ex Tertulliani libris haec affero:

Jud. 7 'si Aegyptiis Pharao (regnavit) vel quisque ei in haereditario regno successit;' sic enim libri omnes exhibent, Latinius autem perperam correxit 'quisquis', quod Oehlerus iniuria recepit. Mutavit idem editor Marc. III 20 in p. 149 O.: 'amplius nunc superstruimus ea quoque paria ex scripturis creatoris, quaeque post Christum futura praecinebantur' atque item virg.

---

[1]) Kuehnerus II p. 408 et Draegerus I 101 exempla afferunt; praeterea vide Woelfflinum doctissimam dissertationem de geminatione in lingua Latina (Sitzungsberichte der bayr. Akad. 1882. p. 446 sq.)

vel. 13: hanc idoneus est ad conspicienda, quaeque in occulto fiunt, quam iustus ad remuneranda, quae soli sibi fiunt.' Utrobique Oehlerus prave, ut mihi quidem videtur, hanc codicum lectionem mutavit in 'quaequae'. Nam quamquam talis quaestio codicibus solis diiudicari non potest. tamen, quod in loco ex libro adversus Judaeos supra citato lectio sarta tecta est et ceteri quoque Afri istum usum vindicaverunt' equidem malim credere ubique servandum esse 'quaeque', Accedit quod forma geminata 'quaequae' apud solos fere iuris consultos reperitur, id quod Woelfflinius l. c. p. 448 contendit. At hac ipsa re Oehleri coniectura firmari videtur, quam in sententiam Woelfflinius olim vergit ratus Tertullianum illam formam geminatam ex studio iuris consultorum hausisse. Sed postea hic vir doctissimus ipse lectionem 'quaeque' praetulisse videtur, cum locos supra allatos adhibeat ad probandum Afros interdum pro 'quisquis' dixisse 'quisque' (Archiv VII 477).

Caput III.

De africanismis Tertulliani.

De sermone Afrorum vel africitate quid viri docti censeant, iam supra breviter exposui, quid equidem iudicem, nunc, priusquam ad rem ipsam hoc capitulo tractandam accedam, paucis complectar: nonnulla mea quidem sententia sunt et in syntaxi et in formatione usuque vocabulorum, quae, cum alibi aut omnino non aut sparsim et raro inveniantur, in Africa autem provincia vulgo et constanter deprehendantur, Afrorum propria possint appellari. Quorum quantum apud Tertullianum inveniatur, nunc explicare conabor, haud ignorans non pauca aut additum aut sublatum iri, cum quae proprietates sint africitatis et quae latinitatis totius sequioris, melius constabit.

A. Ac primum quidem ex syntaxi ea, quae sermoni Africano adscribo, afferam.

a. Principem locum hic teneat:

genetivus, qui vocatur **definitivus**, qui apud Tert. quatuor generibus apparet:

1) genetivus, qui proprie vocatur epexegeticus, continens id, quod substantivo regenti explicatur; exemplo sit pat. 1: patientiae sanitatem suspirem necesse est (sanitatem i. e. patientiam).

2) genetivus, qui vice adiectivi fungitur [1] (apud Tert. frequentissimus); exemplo esto: res. car. 49 conversatio vetustatis (der alte Wandel). Multos huiusmodi genetivos Tert. ex 'Itala' mutuatus est, velut: mart. 2 'odor suavitatis' (= suavis); apol. 18 in 'viros iustitiae' (= iustos).

3) genetivus pendens a substantivo abstracto, quod vice adiectivi fungitur, velut Plautinum (mil. 5, 1, 41) 'scelus viri' = scelestus vir. Qui usus ad sermonem vulgarem pertinet et postea in linguas Romanas [2]) transiit. Unum exemplum appono:

idol 2: in modico consisteret et diaboli ingenium — et dei dominium (der schlaue Teufel — Gott der Herr).

4) genetivus substantivi, quod idem vel paene idem significat atque substantivum regens. Cum tres illae genetivi species supra nominatae apud alios quoque scriptores deprehendantur, hic genetivus solis Afris scriptoribus peculiaris videtur fuisse, in quo tumorem quendam inesse recte iudicabis. Aptissima exempla attulerunt Schmalzius (gramm. § 65 a 3) 'ira furoris', 'taciturnitatis silentium', unde nescio, et Sittelius [3]) l. c. p. 93.

---

[1]) Sittelius Lok. Versch. p. 104 scribit: „Die Ersetzung des Adjektivs durch den Genetiv eines Abstraktums verleiht der Rede ein fremdartiges Kolorit." Sed proprium hoc Afrorum non esse vel inde elucet, quod hic genetivus iam apud Suet., Sen. phil., Iuvenal. saepius reperitur.

[2]) cf. faquin de cuisinier Mol. l'Av. III 6, „Der Schurke vom Bedienten" Lessing Em. Gal. IV 3.

[3]) Non recte Sittelius p. 92 contendit: „Fronto, Gellius und, wie es scheint, auch Tertullian haben sich von diesem Afrikanismus freigehalten." De Frontone et Gellio iudicium equidem cohibeo.

Tertullianus, cuius sermo rarius tumore deformatus est et magis brevitatem affectat quam ubertatem, non ita multa praebet exempla ad hunc usum certe pertinentia.

an. 54 omnes labes mundialium sordium (alle Flecken des weltlichen Schmutzes); an 54 ex: caeno immunditiarum: idol. 6: colis non spiritu villissimi nidoris alicuius; Marc. I 14 ex: quanta obstinatio duritiae tuae (nos: Verstocktheit und Hartnäckigkeit); Jud. 1 minor aetate tempororum (populus); pall. 2 diversitatis discordiam vices foederant; praescr. 2: (haereses) maioris ignis ardorem inferentes (ubi tamen licet genetivum subiectivum statuere).

b. **Ablativus substantivi abstracti** haud raro apud scriptores Afros ponitur, ubi potius adverbium exspectaremus, et sunt viri docti [1]) qui putent hoc esse ortum imitatione linguarum semiticarum, quae adverbiis carebant.

apol. 2: o sententiam necessitate (= necessario) confusam; nat. I 4 atquin temeritate (= temerario modo) praesumeretur; Hermog. 11: et iudicium frustra constituit deus, iniustitia (= iniuste) utique puniturus.

c. Ablativus proprie etiam **merito** est, quod pro 'propter' inter Afros primus induxit Apuleius (apol. 8), si fidem habere Sittelio licet (Jahresber. 1891 p. 236), quem usum Tert. recepit apol. 14: Aesculapium canit avaritiae merito, quia medicinam nocenter exercebat, fulmine iudicatum.

d. Protinus commemorandus est **usus comparativi et superlativi africanus.**

Constat enim scriptores Afros vim et notionem graduum non iam recte sensisse, corruptos semitica lingua et comparativo et superlativo carente. Ita factum est, ut Tert. ut ceteri Afri

---

[1]) cf. Schmalzium l. c. § 93 a. 1 et Sittelium l. c. p. 107, qui falso affert apol 21 'tunc Iudaei detractum et sepulchro conditum magna etiam militari manu custodiae diligentia circumsederunt'. Hoc enim loco 'custodia diligentia' haud dubie exstat pro 'custodia diligenti', quae figura Tertulliano frequentissima est.

non solum diversos gradus velut superlativum et positivum iuxta poneret[1]) (e. gr. paen. 4: bonum atque optimum = καλὸν κἀγαθόν), sed ut eis etiam promiscue uteretur.

Superlativum 'proximus' Tert. utitur, quasi esset positivus[2])

scorp. 3: tam proximum parentem; test. an. 5: quae tam proxima hodie sunt; car. Chr. 7: tam proximi aberant; res. car. 63: nemo tam proximus tibi;

Prax. 3: ut — per alias proximas personas administretur.

Atque etiam comparativum huius superlativi format addita vocula 'magis'[3])

res. car. 7 (animam) magis deo proximam; apol. 23 magis fides proxima est adversus semetipsos confitentes quam pro semetipsis negantes; idol. 11: ecce magis proximum praeiudicium; Marc. IV 19: transtulit sanguinis nomina in alios, quos magis proximos pro fide iudicaret.

Nec minus comparativo hic illic eadem ratione additur 'magis',[4]) velut res. car. 45: magis illud prius est (cod. 'mavis', quod sensu caret).

---

[1]) In Itala et Vulgata pro positivo vocabuli graeci saepe superlativus ponitur (Roensch. l. c. p. 415 sq.); ex Itala T. hunc usum aliquotiens assumpsisse videtur, quamquam in universum vitat. cf. Apul. met. 9, 37 saevis ac ferocissimis canibus Arnob. 2, 57 fortibus et validissimis. Ceterum videndus est Woelfflinii liber de latina et romana comparatione.

[2]) cf. Apul. apol. 9 tam proximum argumentum; similia saepius.

[3]) Min. Fel. 19, 2 nonne apertius, proximius, verius?

[4]) falso Sittelius l. c. p. 100 huc traxit spect. 13: si ergo gulam et ventrem ab inquinamentis liberamus, quanto magis augustiora nostra, et aures et oculos ab idolothytis et necrothytis voluptatibus abstinemus: hoc enim loco 'magis' non ad comparativum pertinet, sed ad verbum 'abstinemus'. Et alii loci, quos idem vir doctus ex Tertulliano (i. e. ex indice Oehleriano) deprompsit, prorsus alius condicionis sunt.

Praeterea hos metaplasmos sibi permisit: extremior:[1]) an. 33 ex: nihil plenius, quam quod extremius;

extremissimus: apol. 19: extremissimi tamen eorum non retrosiores reprehenduntur.

postremissimus:[2]) cult. f. II 1 in: postremissimus equidem — audeo.

Pronomen quisque Tert. innumeris locis cum comparativo coniunxit. ubi sincerior usus linguae desiderabat superlativum: idol. 11: graviora delicta quaeque; an. 9 in: sollemniora quaeque; ux. II 4: pauperiora quaeque tuguria; res. car. 17 in: simplicior quisque; ib. 19: manifestiora quaeque; ib. 20: insigniora quaeque; Prax. 2: ante priores (= primos) quosque haereticos; Marc. IV 36 principaliora quaeque; pud. 8: cui etiam condicio gratior quaeque de gula erepta est; apol. 50: nec quicquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra.

Ac fortasse etiam saepius apud Tert. occurrit positivus cum pronomine 'quisque' iunctus nec immerito Schmalzius (lat. Stilistik § 14, Handbuch B. II) contendisse mihi videtur hac in re Tertullianum omnes superavisse. Nonnulla exempla selecta hoc probabunt:

praescr. 38: sapienti cuique; exh. cast. 12: sapiens quisque; Hermog. 19 haereticis mos est simplicia quaeque torquere; res. car. 5 in: rudes quique; ib. 63 praescr. 4; ut probabiles quique manifestentur;

Prax. 3 in: simplices quique; Marc. I 2 (argumenta) quae persuadent perverso cuique; scorp. 5: acerba quaeque curare; pat. 4 in: probos quosque servos; apol. 11: impii quique; ib. 39: probati quique seniores; nat. II 13 (p. 122 R.) dignis quibusque.

---

[1]) idem apud Apul. met. 1, 8. 7, 2.

[2]) hoc iam dixit C. Gracch. ap. Gell. 15, 12, 3; Apul. apol. 98.

Eadem confusione graduum factum est, ut etiam post positivum coniunctio 'quam' poneretur, tanquam praecederet comparativus.[1]) Quamquam hoc iam in argentea latinitate hic illic reperitur, tamen Afri primi erant, qui omnem modum excederent. Nonnulla elegi:

virg. vel. 17: ut — contenti sint dimidiam frui lucem quam totam faciem prostituere; Hermog. 14: quaecunque potestas ei quam pusillitas competit; Val. 26: quasi aliis fuerit necessarius quam egentibus salute; Marc. I 24 quid erat perfectae bonitatis quam totum hominem redigere in salutem; ib. II 4: quis dignus incolere dei opera quam ipsius imago; ib. II 19 in: bonum (est) fidere in dominum quam in hominem et sperare in dominum quam sperare in hominem; mart. 2 exisse vos e carcere quam in carcerem introisse intellegemus; nat. I 4 mirari quam assequi norunt.

Positivus pro comparativo imprimis obvenit in enuntiatis comparativis, in quibus pronomina correlativa 'quanto — tanto' (vel 'quo — eo') solent usurpari. Tert. in hisce enuntiatis α) aut in altero membro comparativum ponit, in altero positivum, β) aut in utroque positivum. α) Marc. III 9: quanto meliorem et perfectiorem deum inducis, tanto (sc. magis) non competunt illi exempla; fuga 1: quanto frequentiores imminent persecutiones, tanto (sc. magis) examinatio procuranda est; idol. 24: (lex) quo expedita (= expeditior), hoc plenius administranda; paen. 3: tanto potior ad poenam est, quanto (sc. magis) principalis ad culpam; ux. II 5: quanto (sc. magis) curaveris ea occultare, tanto suspectiora feceris; ux. II 8: quanto (sc. magis) dives aliqua est — tanto capaciorem domum

[1]) Hic usus loquendi a Kalbio l. c. p. 127 ad sermonem vulgarem refertur. Loci qui ex Plauto et Sallustio a Draegero II 646 afferuntur, aliter explicari possunt. cf. Schmalz-Landgraf: Reissigs Vorlesungen III 172 a. Kuehner II 972 a. 6.

— *requirit*; cult. f. II 9: *tanto maior fit concupiscentia, quanto magno* (sic cod. Agob., reliqui 'magni') *fecit*; ux. II 1: *quanto nubere in domino* (sc. magis) *perpetrabile est — tanto culpabilius est non observare*; Jud. 10 et Marc. III 18 (*sacramentum*) *quanto incredibile, tanto magis scandalum futurum — quantoque magnificum, tanto magis obumbrandum.*

β) test. an. 5 in: *testimonia animae quanto vera, tanto simplicia*, Marc. II 11: *quanto* (sc. magis) *malum iniustitia, tanto* (sc. magis) *bonum iustitia*; nat. II 12: *quanto* (sc. magis) *diffusa res est, tanto* (sc. magis) *substringenda nobis erit*: ux. II 3 *quanto* (sc. magis) *potestas vitandi fuit, tanto* (sc. magis) *crimine oneratur.*

e. Quicunque Tertulliani libros accuratius perlegerit eum puto miraturum esse **usum** eius **temporum**: videtur enim ab usu priorum scriptorum adeo differre, ut vix certam stabilemque rationem quam secutus sit possimus cernere. Miram illam permutationem et confusionem temporum, quae apud alios quoque scriptores Afrorum lectorem perturbat, fuerunt viri docti qui ad indolem et eruditionem Afrorum semiticam referendam putarent.

Imprimis Blasius (Geschichte des Irrealis im Lateinischen p. 32 sq. et Geschichte des Plusquamperfekts im Lat. p. 98 sq.) studuit demonstrare Afros perductos lingua punica subtile discrimen temporum latinorum non iam sensisse. Docet enim ille vir doctus in linguis semiticis duo tantum tempora fuisse, perfectum et imperfectum, quorum illud non solum tempus perfectum et plusquamperfectum, verum etiam tempus praesens et futurum, quin etiam tempora quae vocantur relativa, velut coniunctivum imperfecti et plusquamperfecti potuerit exprimere, hoc autem (sc. imperfectum) ipsum quoque pro coniunctivo imperfecti latini usurpari. Quae cum ita sint, non esse mirum Afros cum tempora praeterita conturbavisse tum tempora relativa, quae in lingua punica et perfecto et imperfecto reddi potuerint, prorsus mendose et sine ulla regula commutavisse et variasse. Blasius igitur contendit (et ante eum iam Sittelius l. c.) imprimis permutationem coniunctivi imperfecti et plusquamperfecti Afris peculiarem esse,

cum in tota latinitate paene nusquam ante Afros deprehendatur, et observavit plerumque eam in enuntiatis finalibus et condicionalibus reperiri.

Quam Blasii demonstrationem confiteor primo obtutu habere aliquid quo capiat nos et ipsum me initio ea captum fuisse, sed exemplis quae ille congessit quaeque ipse addideram denuo et accuratius examinatis intellexi illius opinionem speciosiorem quam veriorem esse et Tertullianum, ubicunque illa tempora mutare videatur, discrimen temporum optime sentire et in universum aptissimum tempus solere ponere. Id sane libenter concedo non semper facile esse cognitu, cur scriptor tempora commutaverit, sed plerumque causa probabilis erui poterit.

Nonnulla ad firmandam meam sententiam iam nunc afferam, cetera vero fortasse postmodo accuratius tractabuntur.

cf. apol. 16 ex: 'haec ex abundanti (sc. attulimus), ne quid rumoris inrepercussum quasi de conscientia praeterissemus'. Exspectas hoc loco haud dubie 'praeteriremus', sed plusquamperfectum multo efficacius est, cum exprimat 'ne praeterisse videamur'. Eadem fere res est de hoc loco:

pall. 5 extr.: 'margarita namque vel ipso nomine pretiosa dehausit, credo, ne mendicius patre coenasset', optimo iure 'coenasset' hic positum est, non 'coenaret', cum Tert. exprimere velit: 'ne mendicius patre coenasse diceretur vel dici posset'.

Huc etiam traho cult. fem. I 2: sic remuneraverunt (angeli), ne eis (i. e. feminis) profuisset felicitas sua, sed ut devectae de simplicitate et sinceritate una cum ipsis in offensam dei pervenirent. Non sine ratione T. hic scripsit 'profuisset', quod explicare possumus 'ne eis profuisse videretur'.

Alia causa subest in huiusmodi exemplis: Marc. III 11 et utique debuerat phantasmatis scenam decucurrisse, ne originem carnis non desaltasset, qui personam substantiae ipsius egisset.

Desideramus hic 'desaltaret', sed plusquamperfectum 'desaltasset' attractum est praecedente plusquamperfecto 'debuerat.'

pall. 1: civitas suopte arbitrio mutare properavit, ut adpulsum Scipionem ante iam de habitu salutasset, Romanum praecoca. Voce 'ante', quae significat 'ante adpulsum Scipionem' effectum est ut scriberetur 'salutasset', non — quod exspectes — 'salutaret'. Iniuria praeterea Blasius (Plqpf. p. 99) attulit scorp. 6 in: evulsum enim hominem de diaboli gula per fidem iam et per virtutem inculcatorem eius voluit (sc. deus) efficere, ne solummodo evasisset, verum etiam evicisset inimicum.

Tert. plusquamperfecto utitur, quod de re acta, non iam agenda loquitur. Martyrio enim peracto homo iam diabolum evasit et evicit.

Saepissime Tert. tempora supra nominata in enuntiatis condicionalibus confundere videtur. Permultis enim locis coniunctivus imperfecti iuxta coniunctivum plusquamperfecti invenitur, ubi sinceriore usu temporum alteruter flagitaretur. Poetica quaedam libertas hic subesse videtur, quae ex variationis studio orta est. Nam etiam poetae nonnulli,[1]) qui minime Afri erant, ut vitarent terminationes similes, commutaverunt illa tempora, unde evincitur ad semiticam linguam hoc non pertinere. cf. cult. f. I 1 in: 'Si in terris moraretur fides — nulla vestrum — laetiorem habitum — appetisset, ut non magis in sordibus ageret et squalorem potius affectaret. Memorabilis praetes ceteros est locus qui exstat Jud. 2: 'si dominum deum suum dilexissent (sc. Adam et Eva), contra praeceptum eius non fecissent; si proximum diligerent — persuasioni serpentis non credidissent'; post quatuor plusquamperfecta deinde subito iterum imperfectum emergit 'nec falsum asseveranti diabolo participes efficerentur', deinde rursus plusquamperfecta sequuntur.

[1]) ex Claudiano eiusmodi exempla attulit Birtius praef. p. CCXXIII. Memorandus ex Tert. ipso locus, ex quo variationis studium optime elucet nat. I 10 (p. 75, 16 R.) 'qui de pluribus suscipit aliquem, eum, quem non suscipit, despexit'. Vitare vides Tertullianum 'despicit', quod iuxta 'suscipit' molestum esset.

Talia plura ex Tert. afferre non difficile est, [1]) sed nunc nobis non necesse. Breviter autem hic duos locos attingere oportet, in quibus tempora alia causa permutata sunt: monog. 3 in: 'etiamsi totam et solidam virginitatem sive continentiam paracletus hodie determinasset, ut ne unis quidem nuptiis fervorem carnis despumare permitteret, sic quoque nihil novi inducere videretur. Hoc loco qui offenditur imperfecto 'videretur' post plusqpf. 'determinasset' posito, ne obliviscatur 'inducere' exstare pro 'induxisse' et praesens propter vocem 'hodie' adhibitum esse. ieiun. 1 in: 'monstrum scilicet haberetur libido sine gulo, cum duo haec tam unita atque concreta sint, ut si disiungi omnino potuissent, ipsi prius ventri pudenda non adhaererent'. 'potuisset' pertinet ad tempus, quo natura humana creabatur, adhaererent' autem idem significare apparet quod 'adnexa essent'.

B. Quoniam de proprietatibus africitatis ad syntaxin pertinentibus dixi, nunc animum dirigamus ad **usum vocabulorum.** Qua in parte in memoriam revocari debet, quod iam in principio capitis II (de archaismis) exposueram, multa esse, quae non certo sciamus utrum ex sermone vulgari petita sint, an ex studio poetarum inprimisque veterum emanaverint, an ab Afris ipsis nove ficta sint. Facile igitur in eis, quae enumerabo, subrepserint aut ea, quae cum videantur ab Afris ipsis in usum inducta esse, tamen iam apud priscos scriptores in usu fuerint, quamquam in in exiguis linguae priscae fragmentis non iam cernuntur, aut ea, quae magis toti latinitati sequiori attribuenda sint quam africitati soli.

1. Substantiva et adiectiva.

a. Non est dubitandum, quin Afri adamaverint **substantiva cum 'in privativo' formata.** Woelfflinius [2]) enim observavit huiusmodi sustantiva exceptis paucis apud priores scriptores exemplis

---

[1]) cf. idol. 18 p. 52, 22 sq. R.; pall. 4 p. 940 O. latraret (= latrasset) — detulisset.

[2]) Archiv IV 400 sq. Roensch l. c. p. 216 sq.

a solis fere Apuleio, Gellio, Tertulliano, Cypriano usurpata esse. Ego autem missis ambagibus ad usum loquendi Tertullianeum accedam, contentus ea vocabula congessisse, quae Tert. novavit.

immisericordia (ἅ λ): spect. 20: studemus immisericordiae extra amphitheatrum;

immoderantia (ἅ λ): bapt. 20; temptationes plenitudini et immoderantiae ventris appositas;

immundus (ἅ λ): cult. f. I 4; cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant, ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici;

impraescientia (ἅ λ): Marc. II 7: deceptus ex impraescientia futuri;

improvidentia (T.) Marc. II 23 ex: (deus) qui non levitate aut improvidentia sententias vertit. ib. V 1.

inbonitas (ἅ λ) mart. 3: ubi omnis duritia et inbonitas et insuavitas constitit.

incongruentia (ἅ λ) an. 6 (p. 305 R.): mirabimur incongruentiam provocantis;

inconvenientia (Tp.) Marc. IV 26 (p. 198 O.): hac inconvenientia voluntatis et facti agunt ethnici nondum a deo instructi;

incriminatio (ἅ λ) res. rac. 23 sub fin.: ad palmam incriminationis (ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἀνεγκλήσεως);

inexperientia (ἅ λ): an 20 obtundunt (sc. valentiam) inscitiae ignaviae desidiae libidines inexperientiae;

infructuositas (ἅ λ) rec. car. 33: ad instar Judaicae infructuositatis;

inhonestas (T.) Marc. V 5 (p. 289 O.) vetera stultitiae et infirmitati et inhonestati — deputari possunt; Iud. 14.

inobaudientia (ἅ λ) Marc. IV 17 ex: inobaudientiam illis exprobrare posset.

insufficientia (Tp.) ux. I 4: saecularis concupiscentia causas habet gloriam, cupiditatem, ambitionem, insufficientiam.

invalitudo (T.) Val. 21: de animalibus scilicet censu invalitudinis spiritalia accedere;

involuntas (α λ) apol. 45: 'ex involuntate' ex coniectura Rigaltii et Latinii; Oehlerus codicum lectionem recepit 'ex voluntate';

irrecogitatio (α λ) exh. cast. 4 'quasi irrecogitationem excessus sui passa'; sed hanc codicum lectionem Oehlerus respuit, praeferens coniecturam Ursini 'iam recogitationem'.

b. Constat deinde apud posteriores scriptores latinos **substantiva verbalia in — tor et — trix desinentia** magis magisque accrescere, quae verba etsi non proprie ad africitatem pertinent, cum iam in argentea latinitate increbrescant, tamen quod apud nullum scriptorem tanta eorum ubertas est, quanta apud Apuleium et Tertullianum, ea saltem recensere liceat, quae apud istos solos vel primos videntur occurrere. (De vocibus a Tertulliano novatis iam a Schmidtio disputatum est.)

dilector, quod Apul. flor. 9 (atque ego me dilectorem tuum profiteor) induxit, receptum est a Tert. Marc. IV 23 parvulorum dilector.

improbator primus Apul. de deo Socr. 16 dixisse videtur: 'malorum improbator, bonorum probator'; idem redit apud. Tert. pat. 5 (p. 598 O.) talis igitur excetra delictorum cur non dominum offendat improbatorem malorum'.

insecutor reperitur et apud Apul. met. 7, 2 'quo velocius frustatis insecutoribus procul ac procul abderet sese' et apud Tert. apol. 5 'tales semper nobis insecutores, iniusti, impii'.

oblectator legimus apud Apul. flor. 17 'hic (Arion) misericordium belluarum oblectator' et Tert. cor. m. 8 ex: deus oblectator hominis sui.

prospector scripsit Apul. de deo Socr. 16: 'deus in rebus incertis prospector', Tert. orat. 1 'deus prospector humanarum necessitatum' cf. Marc. IV 34.

captatrix usurpat Apul. de dogm. Plat. 2, 8 'alia vero adulandi scientia est, captatrix verisimilium', Tert. cor. m. 13: 'est enim omnis publicae laetitiae luxuria captatrix'.

repertrix utitur ut Apul. apol. 18 paupertas omnium artium repertrix, ita Tert. pud. 7 ex: nec gaudium confert repertrici ecclesiae.

c. Eadem fere res est **de nominibus in — sus vel — tus exeuntibus,** quae aliqua ex parte iam scriptoribus argenteae aetatis probata, maxime ab Apuleio et Tertulliano aucta sunt.[1] Exemplo sint:

cogitatus quod, postquam Seneca praeivit ep. 11 extr., legimus apud Apul. met. 4, 5 divinato et antecapto meo cogitatu, Tert. quoque exhibet an. 58 (p. 395 R.) solos cogitatus et nudas voluntates censura divina persequitur; exh. cast. 1 carnis necessitas cogitatum movet; et saepius.

increpitus primum obvium apud Apul. de deo Socr. 19 'increpitu indignatum Amorem recinendo placare', repetitum est a Tert. Marc. IV 8 iussu et increpitu daemonia expellens.

Ceterum satis habeo quae nomina Tert. novovit recensere.

aborsus (= abortus) (T.) an. 37; nam et Mosei lex tunc aborsus reum talionibus indicat; fuga 9 ex: nolite in lectulis nec in aborsibus et febribus mollibus optare exire.

---

[1]) Pauca ad vetustiores scriptores recedunt, velut offensus, vox apud Lucretium obvia, quae reperitur Marc. IV 39.
Recte Schmidtius lat. Tert. I 14 exponit: 'Ciceronem et ipsum hac in verborum fictione versatum esse constat, sed ita, ut apud eum novorum non aliae nisi ablativi formae occurrant. Tertulliano autem sicut Appuleio imprimis horum tertius casus celeberrimus est praeter sextum, cuius usus ex natura horum vocabulorum ad verbi rationem proximae accedentium facile intellegitur'.

antistatus (ἅ λ.) Val. 13: expiatum — paedagogatum — reformatum — ornatum — Angelorum comparaticium antistatum (analogia!)

deceptus (T.) an. 18 (p. 327 R.) deceptui faciles; Marc. III 6.

defunctus (= mors) (ἅ λ.) Val. 26: quo congressui et conspectui et contactui et defunctui ingratis subiaceret.

denotatus (ἅ λ.) pall. 4 p. 941 O. quantum denotatui.

detentus (ἅ λ.) Val. 32: neque detentui neque conspectui obnoxii;

disciplulatus (Tp.) Marc. IV 3 in: a discipulatu Lucae; praescr. 22 habens in comitatu, in discipulatu, in convictu;

educatus (ἅ λ.) res. car. 60: discessuro concubitu et fetu et educatu.

effatus (T.) an. 6: impingi et pedes in incessum et manus in contactum et oculos in conspectum et linguam in effatum (analogia!) cf. nat. II 11;

eruditus (ἅ λ.) Val. 29: eruditu huius fides augetur;

expiatus (ἅ λ.) Val. 13: Enthymeseos et coniunctae Passionis expiatum;

iaculatus (ἅ λ.) spect. 18: non probabis usquam vanos cursus et iaculatus et saltus vaniores;

ingestus (ἅ λ.) res. car. 42 ab immortalitatis ingestu;

inquilinatus (ἅ λ.) an. 38 sub f.: desiderabit itque inquilinus ex causa et necessitate huius nominis profutura domui toto inquilinatus sui tempore;

mutatus (ἅ λ.) pall. 4 (p. 937 O.) cum incredibili mutatu;

obnexus (ἅ λ.) Marc. IV 37: dissolvens violentiorum contractuum obnexus;

obventus (ἅ λ.) an. 41 in: ex obventu spiritus nequam superstruitur;

[pertractus (ἅ λ) orat. 5 edit. Gang.; Reiffersch. nunc legit 'per tractum'.]

paedagogatus (ἅ λ) Val. 13: Christi et Spiritus Sancti paedagogatum;

postumatus (ἅ λ) Val. 35 in: Sunt qui nec principatum Bytho defendant, sed postumatum;

praegnatus (T.) car. Chr. 1 ex: et conceptus et praegnatus et partus virginis; Marc. III 13:

[praescriptus (ἅ λ) exh. cast. 3 de humano sensu, non de divino praescriptu; ubi tamen Agob. exhibere videtur praescripto.]

praetractatus (ἅ λ) fuga 4 in: ex hoc ipso praetractu;

praeventus (ἅ λ) Marc. V 12 med.: ne contristemur mortis, si forte, praeventu;

prolatus (ἅ λ) Val. 33: facillimo prolatu (cod. 'facillime prolatum', quod ineptum videtur);

promotus (ἅ λ) cor. m. 3 ex: ad omnem progressum atque promotum;

recidivatus (T.) an. 28: Samius sophista Platoni auctor est de animarum recidivatu; res. car. 1. 18. 30.

recogitatus (T.) ieiun 7 ex: ex recogitatu praedicatorum temporum; pall. 6.

recordatus (T.) res. car. 4 (carnem) et visui et contactui et recordatui tuo ereptam;

reformatus (ἅ λ) Val. 13: Aeonum tutelarem reformatum;

retractatus (T.) praescr. 7: idem retractatus implicantur; apol. 4 et saepius;

retractus (Tp.) scorp. 1 in: bellicam machinam retractu tela vegetantem de scorpio nominant;

secundatus (ἅ λ) an. 27 in: si alteri primatum damus, alteri secundatum;

spadonatus (ἅ λ) cult. f. II 9: se spatonatui obsignant:

structus (Tp.) an. 18 (p. 327 R.) neque animum aliud quid esse quam animae suggestum et structum';

submersus (α λ) an. 32 (p. 353 R.) (anima) ascensu etiam scalarum fatigabilis, submersu etiam piscinarum strangulabilis;

submissus (α λ) Marc. V 16 (p. 322 O.) qui eas submissu erroris ulciscitur; ed. princ. praebet ea summissu, quod recte Oehlerus correxit.

univiratus (T.) ux II 1: qui nuper te ad univiratus et viduitatis perseverantiam hortatus sim;

viduatus (α λ) virg. vel. 9: scio alicubi virginem in viduatu — collocatam.

Jam ex hoc recensu elucet Tertullianum talia substantiva mirum quantum in deliciis habuisse.

d. Hinc fiat progressus ad **substantiva aliquot in — io exeuntia**, qua scriptoribus Afris peculiaria videantur esse.

mussitatio, qua voce Apul. (met. 8, 4 tacita prius servata mussitatione) et Tert. (pud 7 nihil ad Pharisaeorum mussitationem respondisse; ib. 9) soli usi sunt.

obsignatio obvenit et apud Gell. 14, 2, 7: 'tabularum obsignatione', et Arnob. II 56: 'veritatis obsignatione munitum' et Tert. bapt. 13 'obsignatio baptismi'.

ostensio occurrit apud Apul. met. 3, 9 'luctantem me ac diu renuentem praecedens facinus instaurare nova ostensione lictores compellunt' atque Tert. Marc. V 4 'haec sunt enim duo testamenta, sive duae ostensiones'.

praesumptio[1]) audaciam vel nimiam spem significans cum apud Apul. reperitur (met. 8, 28 contra plagarum dolores praesumptione munitus) tum apud Tert. cult. f. II 2 praesumptio impedimentum timoris.

ruratio ab Apuleio usurpatur pro vita rustica vel rebus rusticis cf. flor 15: 'ruratio omnis in sarculo et surculo';

---

[1]) alicubi haec vox praeiudicatam opinionem et falsam sententiam significat, velut apol. 49.

apol. 56 'diis rurationis'. In textum novum Tertulliani haec vox per coniecturam venit; Merkelius enim nat. II 5 (p. 103) apte coniecit: 'rurationem' pro 'mutationem', quod cod. Agob. exhibet, sensu autem caret: ita ut nunc legatur: 'item sidera, signacula quaedam temporum ad rurationem notandorum'.

e. Firmiter deinde mihi persuasum est Afros, praesertim Apuleium et Tertullianum, magis quam priores scriptores **substantivis in — mentum** [1] **formatis** delectatos esse.

Nonnulla hic locum obtinere liceat:

augmentum, quae vox antea terminus qui vocatur technicus sermonis sacerdotalis fuerat, in alio sensu redit apud posteriores scriptores (etiam ICtos), nec non apud Tert. Marc. V 18: ita cuius invenio praecepta et semina praeceptorum vel augmenta, eius apostolum agnosco.

crementum post Varr. (sat. Men. 39, 3) et Plin. mai. (11, 37, 149) scripsit Tert. an. 51: 'crementa unguium et comarum'; res. car. 58 'unguium et capillorum facilia crementa'.

indumentum primus Bassus apud Gellium dixisse videtur; postea scriptores ecclesiastici, velut Tert. ux I 7 in: superventuro indumento incorruptibilitatis.

inquinamentum post Vitruvium Gellius et Tertullianus adhibuerunt; cf. nat. I 10 (p. 80 R.) super inquinamenta poenaram; apol. 15. 30 et saepius.

figmentum prope omnes Afri videntur usurpasse; praeter Apuleium enim vide Min. Fel. 11, 9 omnia ista figmenta male sanae opinionis; Gell. 20, 9 figmenta verborum;

Tert. Jud. 1: huic figmento universus Israel — honorem dederunt; Val. 24: de homine figmenta; res. car. 30 etsi figmentum veritatis in imagine est, imago ipsa in veritate est sui.

---

[1]) Multa, quae in 'Itala' obveniunt, enumerat Roenschius l. c p. 22 sq. cf. Schmidtii l. c. I 26.

fulcimentum, vocem ICtorum quoque, post Apuleium admisit etiam Tert. res. car. 61: victus fulcimenta.

supplicamentum legitur apud Apul. met. 11, 20 'sacerdos rem divinam procurat, supplicamentis solemnibus deae litat' (sic. v. d. V.) et Tert. Jud. 5: 'vanum supplicamentum'.

Adnecto denique nonnulla, quae Tert. novavisse videtur, omissis eis, quae ex 'Itala' originem ducere verisimile est.

decoramentum (Tp.) cult. f. II 12: etsi quae leges a maritalibus et matronalibus decoramentis coercebant;

exsecramentum (Tp.) apol. 22 in: exsecramenti voce;

obligamentum (Tp.) idol. 15: per consecrationis obligamentum; cor. m. 14 in.

superindumentum (T.) res. car. 42: a superindumento; Marc. III 24, V 12.

suppliciamentum · (ἅ λ.) fuga 9: 'timor suppliciamentum habet' quod Rig. coniecit pro supplicamentum codicum.

f. Hoc substantivorum in — tor, — tus, — io, — mentum exeuntium ambitu absoluto meum est transire ad **alia substantiva et adiectiva**, quae ab Afris potissimum videantur usurpata esse.

α. **substantiva.**

aquariolus = leno invenitur apud Apul. apol. 78 'hisce auditis exacerbatus aquariolus iste uxoris suae ita ira extumuit' et Tert. apol. 43 'primi erunt lenones, perductores, aquarioli'.

cataclista (i. e. vestis pretiosa) fortasse in usu imprimis Afrorum erat; cf. Apul. met. 11, 9 (p. 259 v. d. V.) 'veste nivea et cataclista praenitens sequabatur chorus'; et Tert. pall. 3 in: et pavo (dat.) pluma vestis et quidem de cataclistis, immo omni conchylio pressior.

elucus, qua voce Gell. 16, 12, 3 usus est: 'ἀλύειν, unde elucum quoque esse dictum putat', etiam apud Tert.

reperitur, cor. m. 7: hederae natura sit cerebrum ab eluco defensare.

ignoscentia (= συγγνώμη) occurrit et apud Gell. 7, 3, 47 'ignoscentias utiles esse rebus humanis docet' et apud Tert. paen. 7 clausa licet ignoscentiae ianna.

impossibiltas ut multa in — tas desinentia abstracta Afri sibi finxerunt; cf. Apul. met. 6, 14 'impossibilitate ipsa mutata in lapidem Psyche'; Tert. bapt. 2 extr.: (deus) in stultitia et impossibilitate materias operationis suae instituit.

lucifuga post Senecam (ep. 122 extr.) soli videntur usi esse Afri; cf. Apul. apol. 16 ex: cum ipse humilitate abditus et lucifuga non sis mihi mutuo conspicuus; Min. Fel. 8, 4 latebrosa et lucifuga (cod. lucifugax) natio; Tert. res. car. 47 ex: lucifugae isti scripturarum; Val 3 in (serpens) lucifuga bestia.

pisculentum huc trahi debet; significat enim hoc adiectivum neutrale substantive adhibitum apud Apul. (apol. 31) et Tert. cibum ex piscibus confectum: Marc. II 20 in: 'sepiae isti, quorum figura illud quoque pisculentum de cibis lex recusavit'. Contra in prisca latinitate hoc adiectivum valebat 'plenus piscium'. (e. g. Plaut. rud. 4, 2, 2 qui salsis locis incolit pisculentis).

praepotentia[1]) formatum ab adiectivo 'praepotens' ut 'praestantia' a 'praestans', significans magnam potentiam legitur apud solos Apul. mund. 26 'horum (sc. regum) praepotentiam — lenocinium vitae effecerat celsiorem' et Tert. Marc. II 7 praescientia et praepotentia dei.

β. **adiectiva.**

coaetaneus habet Apul. met. 8, 7 (v. d. V.) illum amicum, coaetaneum contubernalem, fratrem denique, addito nomine lugubri ciere; idemque Tert. an. 31 (p. 351 R.): (anima) certe vel coaetanea suae mortis, ut aevum,

---

[1]) Aequo modo Tert. sibi finxit: praecellentia (a praecellens) apol. 23; et adiectiva: praedifficilis bapt. 2 extr.; praeopimus paen. 8; praefortis car. Chr. 5.

quod reliquisset iterum recepisset; Hermog. 6: cui materia coaetanea est.

congrex admisit Apul. met. 7, 16: equinis armentis namque me congregem pastor aliquando permisit; translate autem Tert. paen. 11: nullis commessationibus congreges.

graecatus (= qui Graecos sapit) legimus apud Apul. apol. 87 epistula graecatior. Pluralem scripsit Tert. pall. 4 (p. 939 O.), si recte coniecit Gangneius 'graecatos decet' pro eo, quod codices exhibent 'graecatur decet', quod sane defendi potest, si, quod editores faciunt, 'decet' mutatur in 'dicet'.

indefectus praebent Apul. de deo Socr. 4: vivacitas aeterna et indefecta et Tert. pall. 3: Chameleon ieiunus semper et indefectus; apol. 21: manet integra et indefecta materiae matrix.

ineffigiatus (= ἄμορφος) apud Apul. saepius legitur, apud Gell. 17, 10, 3 ut illa bestia fetum ederet ineffigatum informemque'. Tert. hoc adiectivo usus est an. 9: anima indissolubilis et ineffigiata; (cf. ib. 22: definimus animam dei flatu natam, immortalem, corporalem, effigiatam).

inunitus pro unitus' a nonnullis viris doctis addubitatur. Cod. enim Florent. Apulei praebet met. 11, 27 'quamquam enim connexa, immo vero munita ratio numinis religionisque esset'. Van der Vliet in textum recepit Hildebrandi coniecturam inunita, suo iure, ut puto. In textum Tertulliani idem adiectivum recepit Oehlerus Val. 29: 'triformem naturam primordio professi et tamen inunitam in Adam'. Cod. Vindob et Leid. exhibent 'unitatem', ex qua lectione perversa Hildebrandus voluit restituere 'unitatam', Pamelius 'unitam', quorum hoc mihi magis arridet quam illud, nisi Oehlero adstipulandum est.

Minus dubium est 'invincibilis', quod optimi cod. praebent Apul. apol. 35 ex: 'gravia et invincibilia', quod Hildebrandus tamen maluit mutare in 'vincibilia', sed iniuria. Apud Tert. Hermoq. 11 lectio 'invincibile et insuperabile malum' sarta tecta est.

laciniosus proprie est lacinias habens vel fimbriatus, ut saepis apud Plinium (n. h. 25, 10. 32, 6). In translata autem significatione, ubi est 'impeditus' vel 'implicatus' Afris peculiare videtur esse. Apul. met. 1, 7, ubi sane sunt qui legant 'lacunosa'. Tert. virg. vel. 4: sermo laciniosus et onerosus et vanus est; Marc. IV 1: compendiatum est enim novum testamentum et legis laciniosis oneribus expeditum; ib. 29: expediti esse ab impedimentis laciniosae vitae et implicitae.

natatilis ab Apul. mund. 28 in numero plurali substantive usurpatur: 'natatilium et terrestrium greges', a Tert. adiective Hermog. 33: 'natatiles et volatiles animae'. Ad africitatem certe pertinet adiectivum passivus, de quo recte Hildebrandus ad Apul. met. 6, 10 iudicat: 'Vox passivus, cuius duplex est apud Apuleium significatio et eius, quod pati potest et quod est promiscuum, mere Afrorum propria videtur esse, cum apud solum Apuleium, Tertullianum, Arnobium iisque posteriores inveniatur'.

cf. Apul. l. c.: 'seminum istorum passivam congeriem; ib. 9, 36 passivis morsibus. Tert. hac voce semper in altera significatione (= promiscuus vel vagus) videtur usus esse.[1]) cf. praeter alios locos car. Chr. 24: 'alium (sc. Jesum) ceteris passivum', ubi fere idem valet atque 'communem' vel 'vulgarem'. nat. II 1 ex: ut (divinitas) neque fabulis indignis contaminetur neque adoptionibus (Wissowa: adoptationibus) passivis iudicetur'. Sic etiam adverbium 'passive' pro passim vel promiscue positum est: ieiun 2: 'quae (i. e. stationes) passive currant'. Nec aliter res se habet de substantivo 'passivitas', quod exstat pro ratione promiscua vel inconstantia. Exemplo sint: an 4: differentiae autem sua habendo loca et tempora habent aliquando et passivitatis commercia' (die Reziprozität der

[1]) Arnobius hoc adiectivo utitur pro 'passibilis' 2, 31: 'argumenta sunt praesto, quibus anima passiva atque interibilis invenitur'. Contra Firm. Math. de err. prof. rel. 5. 1 dicit 'passivas cupiditates' eas, quas passim homines sectantur.

Gemeinsamkeit apte vertit Kellnerus); cor. m. 8: passivitas fallit obumbrans corruptelam conditionis' quod Oehlerus interpretatus est: 'promiscuus rerum usus vel frequentatio, promiscua frequentia.' Plura exempla Oehlerus ad hunc locum congessit.

pompaticus vocabulum mere Africanum fuisse verisimile est; cf. Front. ad Marc. Caes. III 16 nuper coepisti legere ornatas et pompaticas orationes; Apul. met. 10, 29 pompatico favore deducor; Tert. cult f. II 9 si quas (feminas) ratio compellit ita pompaticas progredi; Val. 16: ibi demum adventu pompatico eius concussa.

suspectus sensu activo pro suspicaci a primis Afris usurpatum est,[1] velut ab Apul. met. 9, 20; Tert. apol. 21: ne discipuli furto amoliti cadaver fallerent suspectos; cult. f. II 4 ex: quid gestis aut suspecto aut non desideranti placere? Val. 21: quomodo ergo solus sibi videbatur, etsi non certus, saltim suspectus de aliquo factitatore?

Claudat agmen participium vacans, quod Tert. hic illic ut adiectivum 'vacuus'[2] pro 'inanis' adhibet; exemplo sit ieiun 11 in: 'eos retundamus, qui haec velut vacantia infirmant.' Idem usus observatur apud Gell. 6, 5, 6 'vacantia ac non necessaria excidere'

2. **Verba.**

Adnecto substantivis et adiectivis nunc verba, quae propria sint Afrorum vel nonnullorum Afrorum.

a. Jam supra vidimus scriptores Afros sermonem priscum imitatos verba cum praepositione 'cum' composita amavisse pro simplicibus ponere. Nunc aliqua cum probabilitate evincere me posse spero, aliis quoque verbis compositis eos esse delectatos.

---

[1] Hoc sane etiam Claudianus habet, qui Afer non est (cf. 8, 278 (p. 160 B.) neu dubie suspectus agas.

[2] Latissime apud Tert. patere usum verbi vacare pro 'supervacuum vel otiosum esse' adhibiti vix opus est exemplis probare Adeas sis indicem Oehleri.

Ac de verbis quidem cum 'ob' formatis Hildebrandus ad Apul. met 4, 20 haec explicavit: 'In universum hoc observari licet Afros compositis verbis in ob — delectatos esse.' Affert ad hoc probandum met. 3, 20: 'se obmiscent'; ib. 11 p. 769 'obblateratis et obauratis'; apol. p. 568 'obcantata'; met. 6 p. 404: 'obhaerescit'; ib 11 p. 768 'obsibilabunt'; apol. p 593 'obsternit'; ib. p. 505 'obtinnirent'; met. 7 p. 493 'obverbero'; quae omnia Apuleius vel solus vel primus usurpaverit.

Ex Tertulliano huiusmodi verborum haec attrahenda sunt: Marc. IV 31 (p. 244 O.): illi obaemulati sunt me; res. car. 7 (p. 477 O.) uti — grana candentia non plumbo, non aere, non ferro, ne argento quoque oblaquees; spect. 22 ex: quale iudicium est, ut ob ea quis offuscetur per quae promeretur? id. Marc. II 12; pall. 4 (p. 938 O.): ne quid et illi de Caesaribus quibusdam vestris obmussitent; Marc. II 5 in: haec sunt argumentationum ossa, quae obroditis.

Memorabile deinde est verbum *ὑπακούειν* ab Apuleio et Tertulliano reddi verbo obaudire, qui usus in Vulgatam manavit (Roensch. l. c. p. 414). cf. Apul. met. 3, 15: secreta, quibus obaudiunt Manes; Tert. Marc. II 2: Adam non obaudiit; ib. IV 20 in: agnorant substantiae auctorem suum, quae famulis quoque eius obaudire consueverant; et saepius.

Praeterea autem Tert. etiam alia composita adamavit, quae ipsa quoque paene idem valent atque simplicia aut, cum plurimum, notionem verbi paulo amplificant. Praepositiones enim (ad, de, in, per), quae verbis annexae sunt, hisce in compositionibus vim praepositionalem plus minus amiserunt. Exemplo sint:

adgeniculari (*ἅ λ*) paen. 9: caris dei adgeniculari;

adpostulare (*ἅ λ*) monog. 10 refrigerium interim adpostulat ei;

adsenescere (*ἅ λ*) exh. cast.: abdicato matrimonio adsenescunt.

[debucinare (*ἁ λ.*) virg. vel. 13 nihil debucinemus (Itala)].

decachinnare (T.) nat. I 19 in: quo facilius rideatis et resolutius decachinnetis; apol. 47;

decinerescere (*ἁ λ.*) apol. 48 ex: salvus est, ut nullo iam igni decinerescat;

dedamnare (*ἁ λ.*) pud. 15; qui non dedecoris tantum, sed et sceleris manifestum dedamnaverit;

depetere (*ἁ λ.*) Marc. IV 20 (p. 209 O.): non enim depetunt ab alio quod meminissent petendum sibi a creatore;

depostulare[1]) scorp. 8 (p 161 R.): (Danielum) a Chaldaeis delatum ac depostulatum (animum intende ad allitterationem!)

descrobare (*ἁ λ.*) res. car. 7: (grana) operosissimo descrobes auro;

[inoperari (*ἁ λ.*) Marc. V 17 (p. 324 O.) ille inoperatus est in Christum valentiam suam (Itala).]

inornare (T.) an. 19: germina inflantur et flosculi inornantur; res. car. 16;

inrufare (T.) ieiun 17 in: si tibi lenticulam defruto inrufatam obtulero; apol. 22;

inspumare (*ἁ λ.*) apol. 12: infrendite, inspumate!

[perindigere (*ἁ λ.*) scorp. 13 sed non perindigeamus; Itala]

perlavare (*ἁ λ.*) paen. 4: haec te peccatorum fluctibus mersum perlavabit; sic optimi exhibent codices;

b. Adiungo nunc **nonnulla alia verba** Afris communia.

auctorari in deponentiali forma legitur apud Apul. met. 9, 19: (mulier) 'exsecrando metallo pudicitiam suam protinus auctorata est'; et Tert. Scap. 1: 'ut etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus'. Non reticendum est, ICtos quoque formam deponentis admittere,

---

[1]) praeivit iam auct belli Hisp. 1.

sed alio sensu; apud illos enim tutor actionem pupilli auctoratur i. e. confirmat, e. g. Ulp. dig. 27, 6, 9.

eliquare proprio sensu utitur Apul. met. 10, 30 'fluvialis aquas eliquans', translato autem Tert. Marc. I 4: in unum necesse est summitas magnitudinis eliquetur; paulo alio (ut iam Persius 1, 34) de pall. 3: 'tractu prosequente filum eliquat', quod Oehlerus explicat 'emittit, quasi profluere facit'.

insinuare secundum verbum graecum ἐγκολπίζειν significat 'in sinum condere'; qui proprius dicendi usus obvenit apud Apul. met. 9, 5 'siccine vacuus et otiosus insinuatis manibus ambulabis mihi? et Tert. res. car. 28: Moyses manum in sinum condit et emortuam profert, et rursus insinuat, et vividam explicat.

oculare Apuleio et Tertulliano commune videtur esse. Apud hunc hoc verbum significat proprio sensu 'oculis instruere' velut paen. 12: hirundo, si excaecaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua chelidonia; figurate apol. 21: 'qui iam expolitos et ipsa urbanitate deceptos in agnitionem veritatis ocularet'. Longe autem alio sensu exstat pud. 8 in: 'in vestibus purpura oculandis'; hic enim 'oculare' est 'efficere, ut aliquid in oculos cadat', ita ut recte Rigaltius explicet 'illuminare' et Salmasius 'purpura oculare' esse idem ac 'purpura clavare' iure contendat.

vigorare occurrit apud Apul. met. 9, 21: 'fallacia vigorati iuvenis', ubi idem est atque animosus. Tert. hoc verbo et intransitive utitur, ut res. car. 26: vinum animae vigorantis ex vite Christi, et transitive, ut pud. 2: effeminantia magis quam vigorantia disciplinam.

3. Proximum locum obtineant pauca **adverbia**, quae Afrorum propria esse videantur.

Ex analogia adverbii multifariam Afri finxerunt omnifariam, quod apud Apul. non infrequens est (e. gr. flor. 23 lapis probe omnifariam complanatus; de deo Socr. prologus (ed. Goldb. p. 5): ut me omnifariam noveritis), nec non apud Gellium reperitur (e gr. 12, 13 cum (oceanus)

omnis terras omnifariam et undiqueversum circumfluat) et satis saepe apud Tertullianum. cf. pud 19 (p. 263 R.): semper ergo et omnifariam delinquemus; res. car. 42 (p. 521 O.): id exhiberi omnifariam necesse est; Marc. II 2 (p. 85 O.): quantam si homo omnifariam nosse potuisset; et saepius.

Eadem res est de adverbio plurifariam, quod quamquam etiam apud Suetonium legitur, imprimis ab Afris adhibitum esse credibile mihi est. Habet Apul. flor. 17: 'labor supervacaneo studio plurifariam superatus'; Gell. 2, 22 'alii plurifariam venti'; Ter. ux. I 2; 'apud veteres nostros ipsosque patriarchas non modo nubere, sed etiam plurifariam matrimoniis uti fas fuit.' Ab hoc adverbio noster non veritus est formare adiectivum 'plurifarius' Marc. I 4 nec inter reges plurifarium videri potest summum magnum. Nec aliter novavit 'multifarius' Marc. V 18 p. 327 'ut nota fiat illi multifaria sapientia dei', quam vocem etiam Gell. 5, 6 usurpavit. trifariam raro apud priores (velut Livium) obvium redit apud Apuleium et Tertullianum. cf. Apul. dogm. Plat. 3: destruitur utravis propositio universalis trifariam; Tert. nat. II 2 (p. 97 R.) ut Dionysius Stoicus trifariam eos dividat; ib. II 9 (p. 111 R.) deos Varro trifariam disposuit.

Quamquam iniuria Sittelius (lok. Versch. p. 99) contendit vocabulum solummodo pro tantummodo primum in Africa provincia usurpatum esse, cum iam ab Iuventio Celso adhibitum sit (Kalb. Roms Juristen p. 47), tamen quin Afris potissimum in deliciis fuerit non est dubium. Exempla ex ceteris scriptoribus cum ubivis sint obvia, satis habeo ex Tertulliano pauca afferre, ut dinoscatur, quantopere Tert. hoc vocabulum amaverit.

Marc. IV 12: solummodo permisit in parasceve; ib. IV 15: Christus solummodo distinguendo, non mutando renovavit; paen 2 ex: si peccatis solummodo adhibeatur; scorp. 5: (ut) ab una solummodo arbuscula temperaret; ib. 6: ne solummodo evasisset, verum etiam evicisset inimicum. ib. 15 in: nos — solummodo

columbae libenter errantes? an. 10: solummodo vivens (formica); apol. 12: nomina solummodo video quorundam veterum mortuorum.

Et possum sescenta afferre, si velim.

4. **Abundantiam quandam coniunctionum** [1]) apud Afros scriptores valere inter viros doctos constat (cf. Sittelii l. c. p. 99.) Et Tertullianus, etiamsi in universum breviloquentiae magis studet, locutionibus huiuscemodi 'ideo propterea', 'etiam — quoque' non plane abstinuit.

mart. 1 ex: et ideo eam propterea in vobis habere et fovere et custodire debetis; idol. 20: meminisse debemus etiam in verbis quoque idololatriae incursum praecavendum; virg. vel. 10: debebunt etiam et ipsi aliqua sibi insignia defendere, ubi Oehlerus coniecit enim, dubito an iure. Prax 13: etiam adhuc antiquior Genesis. 'Adhuc' enim hoc loco minime ad tempus respicit, sed ut persaepe comparativo adicitur notionis confirmandae causa.

Caput IV.

De vocabulis ex iuris consultorum sermone petitis.

Tertullianum, priusquam ad fidem christianam pervenerit, advocatum fuisse in Africa, 'nutricula causidicorum' (Juv. VII 148), inter viros doctos constat. Nam etiamsi certo probari non potest nostrum scriptorem eundem esse cum iuris consulto illo, cuius in digestis scripta citantur (de castrensi peculio lib. sing. et quaestionum l. VIII), tamen ex variis quibus utitur locutionibus et ICtorum vocibus eum iurisconsultum vel causarum advocatum ipsum fuisse non modo credibile sed certissimum est. Tertullianus enim, cum Christianus factus pallium pro toga indueret, naturam ipsam causidici ita non exuit, ut revera advocatus christianus causam Christianorum ageret.

---

[1]) etiam adverbia hic illic cumulantur cf. e. g. nat. I 4 (p. 64, 19 R.) retro ante.

Atque in tres partes coactus est spicula advocatoria dirigere: in ethnicos, in haereticos, in psychicos, quos vocat.

In 'ethnicos' arma sua convertit, defendens fidem et disciplinam Christianorum, haereticis 'praescriptiones' — ut verbo ipsius utar — obicit sicut diversae parti, quod a recta via fidei et disciplinae aberraverint, in psychicos (h. e. ecclesiam) invehitur propter defectionem disciplinae, postquam ipse montanismo addictus est.

Quo fit, ut in omnibus fere libris aut suam partem defendat aut diversam petat. Sed arma telaque, quae ei ex munere advocati reliqua erant, paulisper debebant mutari pro diversitate rei, quam agebat. Non paucae enim notiones novae in 'christianismo' ortae erant, quibus apta significatio desiderabatur. Et ut nummi in catino denuo cuduntur et postea signantur mutataque forma prodeunt, ita vocabula multa notione in catino fidei christianae mutata prodierunt.

1. Primum ea **substantiva** enumerabo, quae Tert. ex iuris consultorum sermone videtur mutuatus esse.

adulterator usurpatur apud ICtos pro eo, qui vitiat nummos (e. gr. Claud. Saturninus dig. 48, 19, 16, 9; verbum 'adulterare' hoc sensu frequentissimum est), apud. Tert. autem translate de eo, qui locum ex libris sacris vitiat; car. Chr. 19 in: hoc quidem capitulo ego potius utar, cum adulteratores eius obduxero.

advocatio apud ICtos fere semper significat patrocinium vel defensionem advocati, id quod exemplis probare inutile est. De Tertullianeo usu cum Schmidtio consentio de lat. Tert. I p. 20 disserente: advocationis voc. significatio dupliciter a Tertulliano novata est. Praeter enim notionem eius a bona latinitate non alienam auxilii (apol. 2), novam induit et excusationis (cor. m. 11 adv. necessitatis) et consolationis (pat. 11 ex: talibus et advocatio et risus promittitur), congruenter cum nova verbi advocare notione, quo Tert. utitur ad vertendum graecum παρακαλεῖν = consolari.

affirmator ICti usurpant de eo, qui alicuius facultatem solvendi testatur (e. g. Ulp. dig. 4, 4, 13; 27, 7, 4, 3) Tert.

autem latiore sensu de eo, qui verum aliquid esse testatur: Marc. IV 7: indignum denique ut Romulus quidem ascensus sui in caelum habuerit Proculum affirmatorem.

causatio pro 'excusatio' obvenit apud ICtos et Tert. idol. 12 (p. 43 R.): exempla adimentia tibi omnem causationem; cor. m. 11 ex: subvertit totam substantiam sacramenti causatio eiusmodi; et saepius.

collactaneus (vel collactanea) (i. e. is, quem eadem nutrix alebat) scripserunt plures ICti velut Scaevola (dig. 34, 4, 30, 1) et Ulpianus (dig. 40, 2, 13), etiam Tert., ubi exponit animam artissime cum corpore iunctam esse: res. car. 63: habet (anima) instrumentum, habet cultum, habet mancipium suum, carnem; ut collactanea comitabitur.

concussio, de qua voce Oehlerus ad librum de fuga i. p. 12 adnotat: 'ICtis concussio dicitur crimen, quo quis alterum illicite terret intentanda accusatione gravioris criminis vel simulando iussa aut minas magistratuum, ut ab eo pecuniam extorqueat periculi vitandi causa'. De quo crimine agit titulus XIII dig. 47, ubi Ulpianus et Macer afferuntur. Tert. saepius hoc vocabulo usus est, velut apol. 7 (p. 137 O.): tot hostes eius quot extranei, et quidem proprie ex aemulatione Judaei, ex concussione milites; Scap. 4. 5.

contemplatio apud ICtos exstat pro respectu vel ratione, ut ap. Ulp. dig. 3, 5, 5, 8 'si quidem contemplatione tui negotia gessi; quod recepit Tert. apol. 39 (p. 265 O.): penes deum maior est contemplatio mediocrium.

delibatio quid apud ICtos significet, discas a Florentino dig. 30, 116: 'legatum est delibatio hereditatis, qua testator ex eo, quod universum heredis foret, alicui quid collatum velit'. Tert. abstracto pro concreto usus scripsit res. car. 7 in: 'ipsa delibatio masculi' pro 'ipsum, quod a masculo delibatum est'. Contra abstractum est Marc. I 22: 'homo damnatur in mortem ob unius arbusculae delibationem', et Val. 6: 'omnino erit delibatione transfunctoria expugnatio', ubi paene idem valere videtur quod commemoratio.

digestum, verbum ICtis usitatissimum, Tert. Marc. IV 3 de libris sacris usurpat; cf. ib. 5; nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent'; atque etiam de suo libro adhibet bapt. 1: non erit otiosum digestum istud; et saepius.

dispunctio apud ICtos significat collationem dati et accepti[1]) (velut ap. Ulpian. dig. 42, 5, 15.) Tert. hac voce translate utitur apol. 18: suscitatis omnibus et recensitis ad utriusque meriti dispunctionem; Marc. V 12: dispunctio boni et mali operis.

elogium ICtis interdum est testimonium bonum vel malum, cum quo damnatus ad praesidem remittitur (velut Marcianus dig. 48, 3, 6; Celsus ib. lex 11). Tert. hoc vocabulum eximie videtur amavisse, cum permultis locis eo utatur pro nota criminis; e. g. pud. 4: si adulterium et si stuprum dixero, unum erit contaminatae carnis elogium; cor. 5 ex: omne autem, quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes, penes nos vero etiam elogium sacrilegii in deum; et adde quae Oehlerus ad hunc locum adnotat[2])

erogator nominatur ab ICtis is qui militibus annonam dispertit (cod. Just. 12, 37, 16, 1. 3), a Tertulliano autem is, qui virginem nuptui tradit pud 16: sic melius pronuntiat virginis conservatorem quam erogatorem.

incolatus pro domicilio sunt ICti qui adhibeant (e. g. Modest. dig. 50, 1, 34); haud infrequenter Tert. res. car. 9: (imaginem dei) quam incolatui, fructui, dominatui totius suae operationis praeposuit; an. 57 in: evocaturam se ab inferum incolatu pollicetur; nat. II 5 (p. 102 R.): quod hominum incolatui denegavit enormitas frigoris aut caloris.

inquietator est terminus qui vocatur technicus ICtorum (cod. Just. 12, 7, 1), quem etiam noster admisit spect. 23: an deo placebit auriga ille tot animarum inquietator.

---

[1]) cf. Ulpian. dig. 50. 16, 56: dispungere est conferre accepta et data.

[2]) conferas etiam Suet. Calig. 27.

iustitium, verbum, si ullum, forense Tert. usurpat, ubi poetico modo describit, quomodo dies intereat in nocte res. car. 12: 'ubique iustitium est, quies rerum'.

interlocutio est 'pronuntiatio iudicis initio mediove litis, quae totam causam non perimit finitque, sed ex parte solum definit et indicat' (Oehlerus); (cf. Ulpian. dig. 1, 4, 1 1 et Paul. ib. 40, 5, 38). Recipit eam notionem Tert., ubi disserit an incesto homini ignoscendum sit pud 14. (p. 249 R.): postremo, quid iudicem indulgere conveniet, quod pronuntiatione deciderit, an quod interlocutione suspenderit.

interversio ICtis crimen peculatus est (cod. Just. 10, 72, 12: nemo eorum semel in interversione convictus id rursus officium gerat). Tert. autem translate hac voce utitur, ut fere significet adulterationem. Marc. III 1: illic scilicet pronuntiandam regulae interversionem ubi posteritas invenitur.

laterculum est album omnium officiorum (cod. Just. 1, 27, 1, 18 in nostro laterculo; ib. 1, 30, 2: omnes minoris laterculi dignitates). Tert. animas in tria genera dividens de choico genere h. e. de malis animis dicit Val. 29: ex earum ergo laterculo et in reges et in sacerdotes allegare consueverat (sc. Demiurgus). nat. I 13: 'vos certe estis, qui etiam in laterculum septem dierum solem recepistis' ubi paene idem est ac numerus.

manceps appellatur redemptor publicanorum velut a Papinian. dig. 18, 2, 53: qui fideiussor exstitit apud mancipem pro colono publicorum praediorum, quae manceps ei colono locavit, rei publicae non tenetur. Tert. figurate deum mancipem divinitatis nominat (apol. 11 in), et idololatras 'idolarum mancipes' (idol. 1 ex), et philosophos 'mancipes sapientiae' (nat. II 2 in), denique diabolum 'mancipem erroris' (nat. I 9 in). Similiter verbo mancipare utitur spect. 4: (spectacula) quae diabolo et pompae et angelis eius sint mancipata.

postliminium ius esse reditus in statum priorem nemo nescit nec opus est exemplis affirmare; quam nativam notionem Tert. convertit in ius reditus in ecclesiam. cf. pud 15 in: 'incesto fornicatori postliminium largitus ecclesiasticae pacis'. Atque ubi metempsychosim impugnat, Heliam ait non corpori restitutum, sed mundo redditum iri (an 35 ex): non ex postliminio vitae, sed ex supplemento prophetiae'.

praescriptio [1]) et praescribere frequentissime apud Tertullianum reperiuntur. Ex usu ICtorum praescribere est exceptione perimere adversarii intentionem, quod vertimus: die Prozesseinrede machen.

Cuius usus exemplis Tertulliani scripta miro modo referta sunt; haereticis enim, quos revincere studet, fere semper 'praescribit', quod adversus regulam dogmata proferant. cf. si placet apol. 7 et quae Oehlerus ad hunc locum adnotavit.

reatus proprie est condicio reorum pendente iudicio (cf. Modest. dig. 48, 19, 25; Paul. ib. 48, 20, 7, 2; Hermogen. ib. 20, 14, 46, 6: in reatu constitutus bona sua administrare potest). Apud Afros imprimisque ecclesiasticos scriptores haec vox etiam pro ipsa culpa vel crimine accipitur. Tert. apol. 3: si nominis odium est, quis nominum reatus? idol. 1: iam in his aeque idololatria de homicidii reatu non liberatur. [2])

refuga apud ICtos est servus qui fugit (e. gr. ap. Ulpian. dig. 48, 19, 8, 6 refugae ex opere metalli in metallum dantur. Figurate Tert. (cult. f. I 5), ubi demonstrat aurum et argentum nihil esse nisi terram, hanc terram nominat 'metalli refugam').

---

[1]) Hollius: Tertullian als Schriftsteller in annal. Borussicis 1897 p. 269 de hac voce dicit: „Er versteht darunter die Geltendmachung des formellen Rechts, vor der sachlichen Erörterung die Bedingungen des Streites festzusetzen."

[2]) Fortasse huc etiam trahi licet 'receptor', quae vox passim in ICtorum libris obvenit (velut Ulp. dig. 1, 18, 13 fures conquirere receptoresque eorum cohibere.) Praeter Cicer. Mil. 19, 50 et Tac. ann. 5, 23 adnotandus est locus Tertullianeus nat. I 2 (p. 61, 5 R.): quibus spoliis sociis receptoribus.

reliquatio dicitur residuum pecuniae debitae (velut Paul. dig. 26, 7, 44, 1: si pupillus post pubertatem rationibus a tutore acceptis reliquationem eius secutus usuras acceptaverit, privilegium suum non amittit). Tert. autem, impugnans veterum sententiam, quae fuit animas ad inferos non posse pervenire, priusquam corpus sepultum esset, sic pergit: (an 56:) 'aiunt et immatura morte praeventas eo usque vagari istic, donec reliquatio compleatur aetatis'.

rescissio est deletio vel oblitteratio (e. g. Ulpian. dig. 4, 6, 27, 7 rescissionem usucapionis et ib. 43, 24, 11, 13 rescissio emptionis) etiam apud Tert. res. car. 57: immortalitatem enim ad rescissionem mortis . . . temperavit; an. 53: ad usque ultimam eversionem et rescissionem vitalium id est naturalium finium.

sequela ICtis est id quod sequitur (inst. 2, 16, 5), nec minus Tertulliano car. Chr. 20 (ubi de vero Christi ex virgine partu agit): cum quid extraneum extraneo adglutinatur, ita concarnatur et convisceratur cum eo cui adglutinatur ut, cum avellitur, rapiat secum ex corpore aliquid a quo avellitur, quasi sequelam quandam abruptae unitatis'. pat. 5 ex: (Judaei) post mannae escatilem pluviam, post petrae aquatilem sequelam desperant de domino.

species apud ICtos haud raro significat casum vel *ὑπόθεσιν* („Rechtsfall") e. g. Paul. dig. 3, 5, 33; Afric. ib. 16, 1, 19, 2 in praeposita specie; Paul. ib. 28, 5, 82. Tert. suam de christianismo causam nominat 'speciem' apol. 1 in; nec aliter rem disciplinae quam tractat vocat speciem (exh. cast. 1: in ista specie carnis necessitas cogitatum movet; idol. 15 in: de ista quoque specie quid videtur?

suggestus pro suggestione vel hortatu usurpavit Ulp. dig. 27, 8, 1, 5: si ex suggestu eorum praeses dederit curatores; eodemque sensu Tert. apol. 18 (p. 186 O.): ex suggestu Demetri Phalerei; translate autem an 1 in: ex materiae potius suggestu (= Einfluss), quam ex dei flatu.

subsignatio, de qua voce cf. Paul. dig. 50, 16, 39: 'subsignatum dicitur quod ab aliquo subscriptum est:

nam veteres subsignationis verbo pro adscriptione uti solebant'. Translate Tert. paen. 2 dicit: 'per paenitentiae subsignationem', qua se apud deum quis proposito vitae sanctioris obligavit, adhibito intinctionis sive baptismi sacramento tamquam signaculo (Rig.); nec aliter ux I 4: 'viduitatem apud deum subsignatam'.

titulus ICtis plerumque est idem quod causa vel index vel nota, velut Paul. dig. 23, 2, 60, 4: 'cum se vellet excusare aliquo titulo', quam significationem Tert. ad causam Christianorum transtulit apol. 1: quam iniquitatem idem titulus et onerat et revincit; ib. 42; alio iniuriarum titulo postulamur; nat. I 16 (p. 87 R.): quotcunque publicatae libidines, sive stativo vel ambulatorio titulo i. e. quae domi vel peregre suscipiuntur. Herculis labores nominat titulos nat. II 10 (p. 113 R.): id quoque potuit duodecim titulis eius adscribi.

2. Hoc substantivorum recensu peracto nunc ad **adiectiva** venio.

conditionalis generaliter dicitur servus certae conditioni adscriptus et manicipatus, apud ICtos propria significatione qui condicioni ministrantium publicorum extra ordinem est adscriptus (Oehlerus ad idol. 12). Christiani hominis conditio in deum transfertur, quapropter Tert. idol. 12 ait: 'sed conditionalis eram'.

diversa pars ab ICtis adversarii appellantur, quam notionem Tert. transfert ad suos adversarios i. e. haereticos vel quoscunque impugnat cf. Hermog. 19 in: unde et diversa pars suspiciones suas ingratis fulcire conatur; res. car. 19 in: si quid pars diversa turbat; Marc. I 20 in: adversus obstrepitacula diversae partis; et saepius.

interrogatorius adhibetur ab ICtis de actione quae vocatur interrogatoria, quae quid sit doceberis dig. 11 titulo 1, qui totus de interrogatoriis actionibus agit. Tert., inquirens, quo sono et quem ad finem deus verba pronuntiaverit 'Adam ubi es?' sic rem explicat (Marc. II 25): nec enim simplici modo

id est interrogatorio sono legendum est — sed impresso et incusso et imputativo.

munificus interdum apud ICtos significat eum qui munus facit e. g. ap. Paul. dig. 50, 16, 18: 'quosdam milites munificos vocari'. Cuius usus memor Tert. scribit orat. 22 (p. 195 R.); 'in quibus iam pueritia mutavit, sicut naturae ita et disciplinae debet aetas esse munifica', quae verba Kellnerus ita vertit: Die, deren Kindheit bereits abgelaufen ist, müssen, wie die natürlichen, so auch die sittlichen Obliegenheiten ihrer Altersstufe vollziehen.[1])

reprobus est quod reprobatur vel reicitur, e. g. nummi reprobi = adulterini (Ulp. dig. 13, 7, 24, 1). Scriptores autem ecclesiastici hanc vocem etiam de hominibus malis adhibent; Tert. pud 15: an eiusdem sit recipere in communicationem reprobos quosque; scorp. 12 ex: inter omnes enim reprobos, immo ante omnes, timidi.

3. Finem faciant **verba forensia.**

coangustare = angustare vel angustum reddere, habent Ulp. dig. 19, 2, 19, 5 si — aedium aditum coangustaverit dominus, translate Pompon. ib. 50, 16, 120: sed id interpretatione coangustatum est vel legum vel auctoritate iura constituentium. Hanc translatam significationem (iam ap. Cic. leg. 3, 14, 32 obviam) Tert. recepit Marc. V 7 (p. 294 O.): pusillum deum affirmas tuum, Marcion, quem in aliquo coangustat tempus creatoris.

consistere apud ICtos plerosque significat iudicio congredi vel actione experiri (cf. Hermogen. dig. 5, 1, 53 adversus dominos servis consistere permissum est; Papin. ib. 5, 3, 49: cum debitoribus . . consistere.) Frequentissime hoc verbo utitur Tert. e. g. idol. 13 in: de hoc quidem primo consistam; apol. 4 in: de causa innocentiae consistam; monog. 2: ut iam de hoc primum consistendum sit. Et sescenties.

---

[1]) Aliter ista explicat Birtius, qui sic distinguere mavult: 'in quibus iam pueritia mutavit sicut naturae ita et disciplinae, debet aetas esse munifica'.

convenire idem valet atque accusare vel iudicio aggredi; cf. Ulp. dig. 3, 5, 14: cur alios debitores non convenerit; Papin. ib. 5, 3, 32 iudicio mandati frustra convenietur. Eundem sensum observamus in Tertulliani libris; apol. 10 in: sacrilegii et maiestatis rei convenimur; ib. 31: convenimur in crimen; car. Chr. 11 in: aliam argumentationem eorum convenimus (= in ius vocamus); nat. I 1 'testimonium convenire'. Plura Oehlerus suppeditat.

denotare ICtis est turpitudinis nota infligere vel criminari (cf. Pompon. dig. 30, 54 turpia legata, quae denotandi magis legatarii gratia scribuntur). Item Tertulliano apol. 3: denotant quod laudant; pall. 1 in: habitus denotare; infra: pallium — etiam denotatis; nat. I 14: quid itaque nostrum unicum (deum) denotatis?

depretiare est alicui rei vilitatem facere, aliquid pretio imminuere (cf. Paul. dig. 9, 2, 22, 1: cetera corpora depretiata sunt). Congruit usus Tertullianeus: an. 17: eadem vina posteriore quoque usu depretiantur; ux I 3: quod autem necessitas praestat, depretiat ipsa; spect. 22: amant quos multant, depretiant (= contemnunt) quos probant; apol. 45: Epicurus omnem dolorem depretiat.

evacuare apud ICtos hic illic est infirmare vel abolere e. g. cod. Just. 8, 42, 4: evacuatae obligationis vires reparari queunt; idem apud Tert. pat. 12: cetera evacuabuntur; car. Chr. 21: sola autem haec vox prophetae evacuabitur; monog. 7: quae evacuata sunt legis.

indulgere aliquid pro concedere, quamquam aliis quoque scriptoribus non plane ignotum est, huc iure trahitur, quod ICti praeter ceteros hunc usum verbi excoluerunt (cf. Ulp. dig. 1, 4, 1, 2 quae princeps alicui ob merita indulsit; Modest. ib. 48, 16, 17 quae (i. e. abolitio reorum) publice indulgetur). Illis convenienter scripsit Tert. apol. 18 (a) duobus interpretibus indultis. ib. 16: si diem solis laetitiae indulgemus; bapt. 10: neque peccatum dimittit neque spiritum indulget nisi deus solus.

liberare in sensu forensi apud Tert. adhibitum esse observavit Oehlerus ad car. Chr. 7, ubi legitur: 'nulla igitur materia temptationis competente liberatur simplicitas nuntiationis'. Recte enim ille censet liberare proprie esse dimittere debitorem vel redimere rem obligatam, quod exemplis probare supersedeo.

minorare pro deminuere post Scaevolam (dig. 18, 7, 10 minorato pretio vendere) Tert. scripsit an. 43 (p. 370 R.): perit anima, si minoratur; cor. 14 ex: minoratus primo a patre modicum quid citra angelos (psalm. 8, 6). Non reticeri debet posse hoc verbum nostro ex 'Itala' affluxisse.

onerare pro obligare frequentissimum est ICtis, velut Scaev. dig. 38, 4, 7 nec fideicommisso onerari potest; Paul. ib. 32, 6, 1: qui fortuito, non indicio testatoris consequitur hereditatem vel legatum, non debet onerari; Papin. ib. 31, 67, 8 in alienis comparandis et onerandis heredibus. Huic usui miro modo convenit Tert. spect. 26: in exorcismo cum oneraretur immundus spiritus; nat. I 2 credo, non vultis oneratos quos omni opere perditos vultis; ib. I 10 (p. 75 R.) 'quo magis oneramini' h. e. accusamini.

parere apud ICtos valet satisfacere; appellanti enim creditori paret debitor cum satisfacit e. g. Paul. dig. 19, 2, 54, 1: si pensionibus paruerit' i. e. si pensiones solverit; Ulp. ib. 27, 9, 5, 9 parendum aeri alieno'. Mutuatus est hunc usum Tert. res. car. 8 ex: nae illa beatissima et gloriosissima, quae potest apud Christum dominum parere debito tanto' i. e. solvere debitum tantum.

pariare pro exaequare usurpant ICti nonnulli, velut Ulp. 40, 1, 4, 5: si ei nummos prorogavit emptor, cum ei pariaverit, poterit ad libertatem pervenire'. Similiter hoc verbo utitur Tert. an. 30: quia nec pariasset commeatus hic vitae milliario tempori; ib. 32: mollitia lanae, mollitia plumae: pariant naturalia earum, substantiva non pariant; res. car. 53: aequa enim

substantia inter se pariant Christus et Adam. Satis haec sunto!

pendere significat saepenumero incertum vel in suspenso esse imprimis apud ICtos, etiamsi alii pauci scriptores hunc usum non omnino ignorant (cf. Ov. met. 8, 12 pendet belli fortuna); cf. Paul. dig. 50, 17, 169 quod pendet, non est pro eo, quasi sit. Quem usum Tert. recepit praescr. 14: si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere vel obscuritate obumbrari.

reformare ICti interdum usurpant pro reddere; velut cod. Just. 8, 11, 17 locus — palatio reformetur'. Quod imitatus est Tert. orat. 25: 'paralyticum sanitati reformavit'.

retorquere in translata significatione apud ICtos imprimis et Afros scriptores videtur occurrere. cf. Ulp. dig. 38, 2, 14, 6: 'si ab eo petitus retorsit in eum crimina'. Perquam talem usum amavit Tertullianus, qui semper diversae parti, sive ethnicis sive haereticis, crimina 'retorquet'. cf. ieiun. 11: eam enim formam reprehendentes, qua et vetera decucurrerunt, et ea retorquentes, quae et adversarii veterum adversus illa poterunt retractare; test. an 2: idem alibi animam divinam et a deo conlatam confitentes cadunt in testimonium ipsius animae retorquendum adversus opinionem superiorem; Hermog. 21: plane retorqueri quaedam facile possunt; et saepius.

reputare alicui pro tribuere vel deputare proprium ICtorum est cf. Modest. dig. 5, 2, 12: est aliquid, quod testatoris vitio reputetur; Papin. ib. 11, 7, 17: vir solus convenietur reputaturus patri, quod eo nomine praestiterit. Idem habes apud Tert. test. an. 6: vanus es, si huic linguae soli, aut Graecae, quae propinquae inter se habentur, reputabis eiusmodi; orat. 7 in: quid enim alimenta proderunt, si illi reputamur revera quasi taurus ad victimam? scorp. 6 (p. 158 R.): proprie enim martyribus nihil iam reputari potest.

superdicere utitur Ulpian. dig. 12, 2, 13, 6: imperator noster cum parte rescripsit fustibus eum castigandum dimittere et ita ei superdici'; atque etiam Tert. pud. 15: immo et adhuc superdicis (non reticeo Ursinum hoc loco legere supra dicis' et Wissowam 'superadicis'). Prax 15: ad distinguendum inter invisibilem patrem et filium visibilem superdicit ex abundanti, deum nemo vidit unquam.

Vita.

Natus sum Henricus Hoppe Herfordiae die XIX. m. Sept. anni MDCCCLXVIII patre Carolo, matre Minna e gente Weber, quos adhuc vivere ac valere gratiam deo habeo. Fidem profiteor evangelicam.

Primis litterarum initiis a patre imbutus gymnasium frequentavi patriae meae, quod tum sub auspiciis Steusloffii florebat, ubi amor litterarum antiquarum iuvenili animo inserebatur.

Vere anni MDCCCLXXXVII ad almam matrem Marburgensem me contuli, ut studiis philologicis me darem. Docuerunt me ibi praeter alios Birtius, quem primo loco nomino, qui semper fautor et dux benevolus studiorum meorum fuit, Wissowa, L. Schmidtius, quorum uterque de me optime meritus est. Eorum VV d. d., qui linguam et litteras theodiscas me docuerunt, plurimum E. Schroedero debeo. Autumno anni insequentis Berolinum migravi, ut caput imperii cognoscerem, unde post sex menses Marburgum redii. Initio anni MDCCCLXXXXII contigit mihi, ut examen feliciter ibi superarem. Deinde postquam per annum Cassalae stipendia merui, ad gymnasium Mindense missus sum, ubi candidatus qui vocatur seminarius essem; anno autem insequenti gymnasio Herfordiensi addictus sum caudidatus probandus. Biennio illo peracto ad gymnasium quod est Thietmalli vocatus sum, ubi etiam nunc munere magistri extraordinarii fungor.